Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

235
C 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

fallor aut p: 2 lin: 11 et p: 67 l: 23 metrum ō valet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

VINCENTII FABRICII
Hamburgenſis,

# POEMATVM JUVENILIUM LIBRI III.

Ad calcem adjectæ ſunt Epiſtolæ
aliquot ſeriæ, & jocoſæ.




LVGD. BATAVORVM,
Ex Officina Elzeviriorum.
cIↃ IↃC XXXIII.

Koninklijke
Bibliotheek
te 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

*Nobiliſſimo Ampliſſimoq; Viro,*

# CONSTANTINO HUGENIO,

*Equiti,*

Zuylichemi Domino, Illuſtriſſimo Principi Auraſio à Conſiliis, & Secretis.

*S. D.*

VINCENTIUS FABRICIUS.

*LIbellum iſtum, Vir Nobiliſſime, cum in lucem editurus eſſem, Tu inter omnes primus occurriſti, cujus nomen ornaret hoc veſtibulum, & ad cætera cognoſcenda homines amœnos invitaret. Quando enim primo in Bataviam veſtram ſtudiorum cauſa veni, continuo venerari ac diligere ingenium, virtuteſque tuas cœpi. Qui cum adoleſcens generoſam illam indolem per diverſas artium diſciplinarumque rationes direxiſſes, induſtriæ ſubſidia, atque inſtrumenta virtutis ita in augenda ornandaque Republica conſumſiſti hactenus; ut efficeres tamen, ne te in cæ-*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

*teris magis, quam in remiſſionibus tuis mi-
raremur. Quas ut primum vidi, inceſſit me
calidum fortaſſis, non tamen illiberale deſi-
derium, propius & coram cognoſcendi dotes
illas, quas in ignoto adorabam. Sed, dum
hæreo inter cupiditatem, pudoremque; dum
molliora ſemper tempora aucupor, aut exſpe-
cto; hactenus quidem videor & tenuitatis
meæ, & tuæ dignitatis, præſtantiæque ratio-
nem habuiſſe: ut tamen tanti temporis ja-
ctura mihi verecundia illa ſteterit. Eam ut
nunc demum majori vi expugnarem, non in-
tempeſtivum arbitratus ſum libelli hujus
dedicatione invocare genium tuum: quo, ſi
poëtica accuſaretur, non alium invenire po-
teram reum locupletiorem. Cujus honeſtæ
voluntatis meæ indicium ubi ad Illuſtrem
virum* DANIELEM HEINSIUM *de-
tuli, effecit profecto ille, ut iam gratulari mi-
hi de conſilio meo inciperem. Præſertim, cum
habere intelligerem, in cujus humeros, ſi non
omnino ex voto cecidiſſet confidentia mea,
totam illam culpam derivarem. Amœnita-
tem, ſi qua eſt, in hoc opuſculo, ne excuſare
quidem tibi poſſum. Qui natura adeo triſtis
& recondita non es, ut ferre liberalem
animi remiſſionem ( quæ ex ſtudiis noſtris
honeſtiſſime petitur ) in homine nihil mi-
nus quam moroſo, aut anxio non poſſis. In*

*qu*

*quo quoniam ipſe fuiſti ; patere , quæſo , me in iiſdem itineribus, quamvis non æquis paſſibus , tamen utcunque incedere. Cæteros, quos acerbi ſui mores , geniique immanitas tantum à ſe impetrare non ſinit , ut venuſtatem ullam amare poſſint , qua ſemper ſoles* CONSTANTIA,*generoſoque contemtu nobiſcum ulciſcere. Qui , dum libellum hunc in clientelam tuam tranſcribimus, pariter nos, noſtraque ſtudia omnia Tibi patrono optimo, & cunctorum admiratione cultuque digno,devovemus.*

*In Amores Nortvicenſes*

VINCENTII FABRICI ſui.

DOuſa pater vatum, patrii tutela Lycei,
Quo nil candidius terra Batava tulit,
Littora Nortvici, campoſq; accēdit, & amnes
In gremio dominæ dum ſua fata canit.
Ipſa Venus, Veneriſq; puer, quos luſit amores,
Quæque Idæ fixit baſia mille ſuæ,
Inſcripſit foliis; flammaſq; & carmina Nymphæ
Hauſerunt patriæ, Nereïdeſq; Deæ.
Tota calet tellus, & adhuc locus uritur ipſo:
Quem Phœbo junctus nunc quoq; ſacrat Amor.
Dignus utroq; Deo vates meus, ardet utroq;
Nec Paphię, Phœbi nec minus igne calet.
Incola Nortvici pariter Pindumq; Paphumq;
Hauſit. amatq; ſimul, nec moritura canit.
Douſa meus doctos Nortvicū trāſtulit ignes.
Nunc afflat vates numine Douſa ſuo.

DAN. HEINSIUS.

In

*In ſeceſſus Nortvicenſes Doctiſſimi Iuvenis*

VINCENTII FABRICI Hamburgenſis.

EPIGRAMMA.

*Fallimur? an ſteriles inter Parnaſſus arenas*
*Surgit, & æquoreis proximus exit aquis?*
*Non Helicon, nõ Phocis abeſt. tellure Batavâ*
*Fundunt Caſtalii pocula plena lacus.*
*Nobile Nortvicum, florent in pulvere Muſæ,*
*Inque tuis ſcribunt carmina docta jugis.*
*Nec tamen exuccos feriit levis ungula colles,*
*Aut latices ictu Bellerophontis habes.*
*Fabricius fontes aperit, novus incola vatis*
*Officio totis luxuriatur agris.*
*Hoc donat jam Saxo tibi, quod debuit Albi.*
*Invenit in ſylvis, quod canat, ille tuis.*
*Quum magnos repetis, Batavûm miracula, Douſas,*
*Poſt Douſas cupias hoc quoque teſte loqui.*
*Si pius eſt, quiſquis Patriæ præconia ſolvit,*
*Bis pius eſt vates, qui peregrina canit.*

C. BARLAEUS.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

## Ad Merillam,

*In Amores*

Vincentii Fabricii

Ida Cupidineis Douſæ cantata libellis,
Obvia Fabricio facta, Merilla, tuo;
Protinus invaſit collum, lentumq; tenaxque
Baſiolum impreſſit. Quid, levis Ida facis?
Douſa tuus non eſt, non hic tuus, Ida, poëta.
Non eſt: ſed Douſam credidit Ida ſuum.

P. Scriverius.

*Ad*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

VIncenti, patriæ non infima gloria terræ,
Cui liquidum in dias naſcenti luminis auras
Riſit Amor, fauſtaſque oſtendit Cynthia flammas,
Albidos ad ripam, quà celſa Ammonis ab arce
Ad cœlum ſurgunt æquatæ robora turres.
Eia age, purpureum tua quando ver agit ætas,
Aude aliquid ſacris hederis & numine dignum.
Quæque tibi faciles dictant divina Camænæ
Carmina, pande foras, & noſtrum mitte per orbẽ
Ingenii monumenta tui; quæ ſerior ætas
Multa laude vehat. Marſuſque audire Poëta
Nunc adſueſce tuis: quo vix limatior alter
Ad Genium Heinſiadæ; merito cui doctior orbis
Imperium poſitis committere gaudet habenis.
Phœbæam ille tibi confecto lampada curſu,
Et reſonum tranſcribit ebur; quo ſæpius olim
Suaviloquum medio Parnaſſi in culmine Phœbus
Diviſiſſe melos, Dryadum applaudente chorea,
Dicitur, innocuo Muſarum tactus amore.
Tu modo, cui tenera nondum lanugine malas
Veſtiit immunis curarum prima Iuventus:
Quem juvat Aonios, Graioſque apis inſtar Apinæ
Pervolitare hortos, & florum carpere mella,
Vnde tuas multo diſtendas nectare cellas:
Eia age, Muſæos Clario quos fonte lepores
Libaſti, cæcis nimium ne conde cavernis.
Profer opes, quales malus Euclio neſcit, & Alpheus,
In ſolis radios, & lucida tela diëi.
Vt videat præſens, quod non videt omnia, ſeclum;
Tot Martes inter redivivum ſurgere Phœbum.
Præmia laturus, non auro inciſa, nec æri,
Qualia tempus edax conſumere ſuevit in horas,
Et meruit quondam, qui vicit Olympia, miles;
Sed vatum curas. Vatum labor omnia leto.

 Eripit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Eripit,& donat populis mortalibus ævum.
Qui te, noſter amor, Muſarum nectare plenum,
Et vulgi exemtum ſtudiis, & ſordibus ævi,
Certatim in cætus ibunt meliore locatum
Parte ſui, & merita cingent tua tempora lauru.
Nam, ſi quid Latiis fas eſt promittere Muſis,
Quantum Callimachi durabit Cynthia vatis,
Venturi tua ſcripta legent. Mens caſta Merillæ,
Et genus, & genius, diviſque ſimillima forma
Vivet, & à nullo tenebris damnabitur ævo.
Nempe nequit doctum ſepeliri pulvere carmen.
Tantum aude, & cœlo te nunc committe patenti,
Ingenii niveis tollendus in ardua pennis.
Sive Elegos ſcribis, lepidæque Epigrammata venæ,
Omnia Muſæo conſpergens dicta lepore.
Seu juvat ad grandes ſoccũ transferre cothurnos,
Et canere antiqua Cari gravitate Lucreti.
Sive tibi argutum Satyræ dabit argumentum
Ambitio, & famæ nimium veſana cupido,
Et conjurati Parnaſſum exſcindere fratres.
Aut quodcunque intus agitat vivæ indolis ardor.
Læta ſit illa dies, nec noſtris tardior annis,
Quæ tantũ oſtendat patriæ decus. O mihi quando
Tam niveam dabitur cupienti cernere lucem?
Tum me etiam Muſæ, functum vice coctis, amabunt.

IOAN. MEIERUS.

AMI-

# AMICO LECTORI

## VIN. FABRICIUS S. optat.

*NOn ignorabam, Amice Lector, lubricum & periculoſum eſſe hoc ſeculo, quo tantus concurſus ad omnem excellentiam factus eſt, ingenium publicare: interque eos comparere velle, qui ſcriptis innoteſcunt. Ita enim eſt profecto. tutiſſimum à prudentibus exiſtimari, nihil ſcribere: proximum, nihil edere. Sic enim non facile invenire, quod detorquere livor, & carpere poſſit. Cum ſtudia, ſi quam partem ſui foris quærunt, jam ſubjectum invidiæ eſſe incipiant. Sed, quæ me cauſa ad hanc editionem impulerit, velim tam candide ad aures tuas perveniat; quam nihil heic perperam à nobis memorabitur. Cum jam ſerio mihi viſus eſſem à ſtudiis amœnis divortium feciſſe; jamque toto pectore nihil niſi Phthiſin, Febres, laterum dolores, Apoplexias, & neſcio quas malas*

*cruces*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

*cruces meditarer: contigit in campos hos Nortvicenſes & littoreum otium me ſecedere. Vbi cum variæ amœnitates (qualibus abundare ea loca neceſſe eſt, ubi & molliſſima prata, campique, & delicatum littus pari voluptate non moroſum animum permulcent) ſæpenumero avocarent ſtudiis fatigatos ſenſus, & reducerent in viam: accidit, quod aliter non poterat, ut redirem in gratiam paulatim cum Muſis meis. Cum amor ille iſtarum Dearum, quem omnem me effudiſſe arbitrabar, reſiduus tamen inſciente me fuiſſet, & ſubito totus appareret. Factum eſt poſtea, ut ſemel atque iterum in littore noſtro ambulans, meditarer neſcio quas ineptias. quas in muſæum reverſus cum repeterem, & in chartas paullò ordinatius conjicerem; profectò illas ipſas deprehendi reliquias ejus inſaniæ, quam olim inſaniveram. Et quidem, juxta Thucydidem,* ἄρχεται ὁ πόλεμος ἐνθένδε. *Sed, per Muſas, nihil minus animus meus agitabat, quam in iſto curriculo aliquot ſpatia conficere. Iamque fere deferbuerat repentinus calor. ſicuti ſolet fugitiva eſſe iſta laſcivientis ingenii voluptas; quæ, quemadmodum occupat, ſic relinquit. Niſi inſtitiſſent quidam amici mei; maxime autem clariſſimus vir Petrus Scriverius.*

*Qui*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Qui cum unam forte aut alteram Elegiam vidiſſet, ut pertexerem telam iſtam, quam non inepte videbar exorſus, non ſemel hortatus eſt. Id cum mihi perſuaderi omnibus modis non poſſet: hactenus tantum effecit viri magni autoritas, ut non ſeiungerem me à poëtandi illo pruritu, antequam librum unum Nortvicenſium Elegiarum abſolviſſem. Iſtum poſtea iidem illi, & alii præterea viri incomparabiles ſupprimi à me paſſi non ſunt. Quibus nihilominus obſecutus non fuiſſem: niſi bona fide decreviſſem tandem non perfunctorie, & levi opera, ſicut fortaſſis hactenus factum fuerat, τῆς θείας Ιατρικῆς ſacraria invadere. Ne audirem ſcilicet, quod dicitur; αὐτὶ χαρίεντος ἰατροῦ, κακὸς ποιητής. Vt autem, priuſquam abirem peregre in campos illos, ubi

> Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ
> δὲ λυγρά,

Oſtenderem alienum omnino non fuiſſe me ab amœnioribus ſtudiis; hoc opuſculum poſt me relinquere volui. Quemadmodum, qui turres altas, aut rupem conſcenderunt, nomina ſua pingunt alicubi, aut parieti incidunt: quo ſe inibi fuiſſe teſtentur. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Nunc, ſi pateris, excuſabo quædam tibi in hiſce noſtris; quæ in voculas malevolorum, & cavillos facile incurrant, niſi præveniam.

Erunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

*Erunt itaque, qui expoſtulabunt, quod Amores ſcripſerim: id eſt, pennigero potius in corpore, quam aligero tela mea exercuerim. Illis ſi ſimpliciſſime reſpondero, dicam; hoc me egiſſe, ut citra grande periculum ſumerem experimentum mei profectus. eodem modo, quo frugales matronæ ſolent; quæ, quoties nova vaſcula explorant, non vinum infundunt, nec oleum: ne magno conſtet experientia. Cæterum, qui ob hilariorem aliquo modo Muſam levitatis reum autorem facturi veniunt: næ iſti jam acerbiores ſunt, quam olim Anytus & Melitus. Qui hercules, cum ſapientiſſimo homini neſcio quas ineptias obiicerent, valde incurioſi rerum ſuarum fuerint neceſſe eſt, ſi immane hoc crimen in innocentem torquere obliti ſunt: prævaricatores, ſi neglexerunt. At tamen idem ille Socrates nonne omnia præter amatoria ignorare ſeſe aſſerit? Nonne, ut divinitus ipſe loquitur,* ὅτι ἐστὶ θεράπων τοῦ Ἔρωτος, καὶ λευκὴ στάθμη πρὸς τοὺς καλούς, *ubique affirmat? Nonne in Republica ſua, ubi de virtutis præmiis ſancit leges, non coronas, aut ſtatuas decernit; ſed ut excellentiſſimo cuique pulchrum, quem ipſe voluerit, adoleſcentem amare liceat, ſcivit, ſancivit, pertulit? Et quæſo, annon publicus ille cavillator Ariſtophanes, potius, quam iſta reprehenderet, neſcio quos*

*pulicum*

*pulicum ſaltus, & ineptiſſimas ἀεροβάσεις comminiſci voluit? Iam vero cum idem ille tanta facundia Socrates puerum iſtum, quem Ἔρωτα appellat, παντὸς ἐπιχειρητήν eſſe comprobet: quid ni & anima, καὶ ἔμφυτον θερμὸν, ut noſtri homines loquuntur, non tantum inventor Poëtices haberi poſſit? Quod ſicuti mihi ſemper perſuaſum fuit: ita hactenus eundem ad ſacra mea admiſi, ut laſciviam, ac petulantiam omnem excluderem.*

Ὅς τις οὖν τούτοισι γελᾷ, τοῖς ἐμοῖς μὴ χαιρέτω

*Adeo heic maluimus bonum aliquod dictum perdere, quam cum verecundiæ jactura elegantes eſſe. Interea cui iſta non ſatisfaciunt, ſciant: Quemadmodum nunquam pugnax in vitiis futurus ſum, ſemperque ad id animum maxime exercui, ut non hebes eſſem in eo, quod melius ſit, intelligendo: ita, niſi laceſſar, modeſtiæ retinentiſſimum eſſe. Cæterum nugatorum calumnias qui ad animum admittat, in litteris nihil profeciſſe. quibus qui offenditur modo, idem facere agnoſcenti. Libellum ipſum cur auctiorem non dederim, cum potuiſſem, ea potiſſimum cauſa fuit; quod, quoniam malum librum daturus eram, in hoc incumbere voluerim, ut, quam poſſem, minimum darem. Qui, ut opinor, ne*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

nor , ne tanto quidem præloquio inſigniri debuit. Ne heic quoque fiat , quod Græci in proverbio dicunt ; τοὐπίγραμμα μεῖζον τῷ θυλάκῳ. Quod ne arripiant arguti homines, qui totos dies aut bonos autores corrumpunt corrigendo ; aut alios contemnunt ; nihil ad exemplum antiquorum ipſi ſcribunt : ne reliquis quidem noſtris heic patrocinabor. Quibus aut propter ætatem ignoſce , ſi mitis es : aut meliora oppone , ſi candidus , & eruditus.

Errata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

## *Errata ſic corrige.*

Pag. 4, l.1, tuta. l.10, dum. p.5, l.17, Heic. p.26, l.29, miſeratus. p.30, l.1, ſtupidus. p.42, l.24. repone *Neſcis? ſollicito non licet eſſe tibi.* pag.44, l.5, nugari. p.60, l.16, ἐρίζεται. p. 65, l.19, adde, *potuit.* p.72, l.28. tabella. p.81, l.4. pro *ſi* rep. *hoc.* l.28, cum. p.89, l.26. *πιλάζομαι.* p.91, l.5, vires p.94, l.7, ſaburrati. p.107, l.32 import.

*His abſentia mea cauſam dedit. Reliqua, quæ alicubi interpunctionibus peccantur, tute corriges.*

*Ad*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

VINCENTII FABRICII

# SECESSUS

NORTVICENSIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

## *Ad* CONSTANTINUM HUGENIUM,

POtentis aulæ, Principiſque non victi,
Vatumque cura, corque, nec minor vates,
Novem Dearum reſtitutor HUGENI.
Seu nunc viros incedis inter armatos:
Dum veſtra pubes fortiter movet bellum,
Genæque ſævo cominus nitent auro,
Et triſte ſplendet lux cruenta ſcutorum.
Seu teſtis ingens Belgicas ſtupes dextras,
Ducemque, adhærens, fulmen arduum belli,
Caſuſque tantos per ſecunda raptantem:
Dum prima motans prælia, & ſuum ferrum,
Proſternit urbes, occupatque tranſcurrens.
Et nunc ſub iſto ſtare non times ictu,
Quo Principis, quo fata ſunt Batavorum.
Si quid ſoluti temporis tibi reſtat,
Vacuumque curis, & tumultibus belli:
Dum campus ardet, dum tubæ cient Martẽ,
Feroxque totis claſſicum fremit caſtris,
Quatitque pavidos, fortibus metum demit,
Venuſtiores excites Deas mecum.
Et quæ juventæ raptus impetu primæ
Amœna, ſed pudica, ſed verecunda,
Heic in receſſu littoris mei, luſi,
Tot inter arma perlegas, opus pacis.

VIN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

VINCENTII FABRICII

# SECESSUS NORTVICENSIS.

Sive

## *Elegiarum liber unus.*

---

### ELEGIA I.

### *Ad* DANIELEM HEINSIUM.

### *De laribus Douſicis.*

DVm tituli famæ creſcunt, vir maxime, tantæ,
 Et cauſam ſeræ poſteritatis agis.
Totaque Lugdunum facundo pendet ab ore,
 Quoſque animi motus non habet, inde capit,
Me mea Nortvicum vitæ traducit inerti,
 Quodque ſonat fractis undique littus aquis.
Heic ego vel totos in littore tranſigo ſoles,
 Et mare proſpectu metior inde meo.
Vel procul in tumulis, poſitiſque vagamur arenis:
 Vel prope per campos, blandaque rura feror.
Sæpe hæret lateri tandem exorata Merilla:
 Sæpe præit, lepidæ duxque comeſque viæ.
Illa diu triſtis; ſed poſt lacrimaſque, preceſque,
 Cum morerer, vitam reddidit illa mihi.
Nunc quoque, ſi fas eſt, tandem concedit amari:
 Nunc quoque, ſi fas eſt credere, forſan amat.
Sic mihi tempus abit: virides ſic curritis anni.
 Dîi faciant, vitæ ſit modus iſte meæ.

Heic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Heic quoque famoſos miratus adoro penates,
Et cineres Douſæ, relliquiaſque tui.
Quæque viri faciem, totamque ex ordine prolem
Ædibus in mediis picta tabella refert.
Talis Douſa fuit, cum, quantum poſſet in armis,
Horridus ad Leidæ mœnia ſenſit Iber.
Talis erat, quoties ſolitos cantaret amores,
Sive Secunde tuos carmine, ſive ſuos.
Ah quoties ſpretoque foro, curiſque remiſſis,
Nortvicum lepidas tranſtulit ille Deas?
Cantantem quoties virides per prata Napææ
Formoſa obſtupuit pone ſecuta cohors?
Ipſe pater Triton, Batavæ Nereides ipſæ
Attonitæ fluctus deſeruere ſuos.
Cum Satyri laſcivi, & per juga proxima Panes
Senſerunt flammas, ruſtica turba, novas.
Iam Picus Galateam, & Tethyn Faunus amabat,
Iſte ſuis pulcher cornibus, ille coma.
Ambo capripedes: auriti largiter ambo:
Egregii lepores ambo feraſque ſequi.
Ah cur ſera mihi neverunt ſtamina Divæ?
Cur ego non illo tempore natus eram?
Cum teneram caneret manſuris verſibus Idam,
Evinctus myrto tempora, Douſa tuus.
Cumque tuos legerent blandæ Nortvicides ignes,
Et notus Roſſæ non minus eſſet amor.
Abductum quoties Nymphis Leidenſibus ille
Iuſſit per tumulos, & ſua rura ſequi.
Forte etiam noſtras licuiſſet jungere curas;
Forte etiam quodam notus amore forem.
Inter & ardores tantos, Roſſam inter, & Idam,
Audiſſet laudes forte Merilla ſuas.
Nunc tua ſublimes pertentant pectora curæ:
Nunc propior cælo vadis, & aſtra petis.
Blandaque complexu feſſam Rutgerſia mentem,
Nataque ſolatur, Heinſiadeſque minor.

De

De Douſa nomen ſupereſt, vacuique penates,
Et quæ jam nullo carmine tecta ſonant.
Quæque errat noſtris lugens in collibus Echo,
Et queritur vatem ſola relicta ſuum.

## Elegia II.

### *Ad Zachariam Lundium in Holſatiam.*

LVndi, quem faciles Muſæ, quẽ blanda Charinta
Iam dudum prohibent poſt tua fata mori.
Dum tu Mœnalios demulces carmine Cimbros,
Et ſtupet ad citharam pontus uterque tuam:
Heic ego, quà Batavas tundit Neptunus arenas,
Et fremit attritis undique littoribus;
Heic ego crudelis Muſarum transfuga plector,
Et miſer adverſos cogor habere Deos.
Cum penitus toto ceſſiſſet pectore Phœbus,
Nec mihi, qui fuerat, carminis eſſet amor.
Scilicet Hippocrates ſucceſſerat; altera cura.
Poſt tot læta manus iniicit ille mihi.
Tum non exhauſti moles operoſa Galeni
Heu procul Aonias juſſerat eſſe Deas.
Nunc Venus è manibus curas excuſſit utraſque,
Et mihi jam nulla Phœbus in arte placet.
Sive manus medicas pallentibus applicat ægris:
Sive mihi lepidi carminis autor adeſt.
Hei mihi, cur toties huc me mea vota tulerunt?
Cur nimium velox in mea damna fui?
At potui Batavas non ignorare puellas,
Et Leidam pueri non nova caſtra Dei.
Regnaque Muſarum: ſed queîs Venus æmula jura
Addidit imperii non ſatis æqua ſui.
Scilicet ex illo didicit non cedere Diva,
Et nimium vires cœpit amare ſuas:
Ex quo ſuccubuit virtus non infima Douſæ,
Et nova materis carminis Ida fuit.

Inde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Inde alii, ſed præcipue meus Heinſius arſit.
Ille Deæ Veneris maxima fama fuit.
Iamque oculos Roſſæ non laudat ſolus, amatve.
Rivalis totus, ſi licet, orbis erit.
Illius exemplum ſi fas prætexere culpæ eſt,
Sufficiens curis debuit eſſe meis.
Scilicet exemplis tutò peccatis amantes.
Delicti veniam ſic ſibi quiſque dabit.
Erubuit peccare orbis: cum Iuppiter arſit,
Dedecus, immunem criminis eſſe, fuit.
Ex illo faciles nimium placuere puellæ:
Ex illo magnum fæmina nomen habet.
At mihi quid prodeſt, iſta quod tutus in urbe
Hactenus, & nullo tactus amore fui?
Quid Lugdunenſes ſpectaſſe impune puellas?
Si venit immenſo fœnore tardus amor.
Nortvicum mihi cauſa mala. ſic fata tulere.
Heic tibi nunc feſſas do, Venus alma, manus.
Alma Venus faveas, veniam nova præda, tuoque
Imperio civem pars quotacunque dabo.
Ille ego, Diva, ferox quondã, nunc cedo; nec ultra
Suſtineo morbum diſſimulare meum.
At memini non illa tibi promiſſa dediſſe,
O nimium puero Phylli cupita mihi.
Vix tria (me miſerum) fuerant mihi luſtra peracta:
Et jam non vacuo pectore liber eram.
Innocuos primus mihi cum calor imbuit annos,
Et volui argutus ſcire, quid eſſet amor.
Quamlibet arte rudis: potui tamẽ, optima Phylli,
Optata ardoris præmia ferre mei.
Cum non difficilis caſtas admittere flammas,
Iuſſiſti votis pondus ineſſe meis.
Invidiæ fuimus. nimium feliciter arſi.
Lætitia heu miſero quam brevis illa fuit?
Vix ſemel ingentem Sol circumvolvitur annum;
Tuque ſimul moriens, & mea vota cadunt.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Atque utinam prẹſens tantum tibi, Phylli, fuiſſem:
Texiſſent digiti lumina feſſa mei.
Oſculaque in gelidis poſuiſſem mœſta labellis,
Traxiſſemque animam languidulam ore pio.
Quod licuit, tumulum ſtatui de ceſpite inanem
Triſtis, & in cineres ultima dona dedi.
Lundius inferias mecum tulit: omnia fecit:
Deque ſuis lacrimis humida ſerta dedit.
Hæc fuit illa dies, qua me ſine amore futurum
Iuravi; &, Lundi, tu quoque teſtis eras.
Ter Phœbus (memini) ſua ſigna recenſuit, ex quo
Occubuit Phyllis: & ſine amore fui.
Nunc demum titubo. dilecti ignoſcite manes.
Vlterius fido non licet eſſe mihi.
Vix tetigi Nortvica miſer novus incola Tempe;
Iamque aliquo, infelix, vulnere læſus eo.
Præ reliquis quædam potuit formoſa videri.
Quam vellem heic oculos non habuiſſe meos!
Heu mihi, vix primos animus bene ſenſerat ignes;
Vt calui; ut ſubito totus in igne fui.
Sic ratis admiſſos cui commodat Æolus Auſtros,
Protenus ex oculis fertur, & alta tenet.
Sic modo ſiccatas vidi miratus arenas
Obvolvi ſubita, cum redit æſtus, aqua.
Tu, Lundi, placidos cui nutrit amica calores,
Cui faciles alas præbet amicus Amor;
Si qua tibi noſtri ſupereſt non immemor hora:
Ad lacrimas noſtras, quod potes, adde tuas.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

## ELEGIA III.
### *Ad Ianum Marium.*

ET male diſſimulo (quis enim bene celat amorē?)
Indiciiſque ſuis jam mea flamma patet:
Et tu vitanti conjector callidus inſtas,
Nec ſollers miles falleris arte novi.
Eloquar: eripuit pariter cum pectore ſenſus
Vnica, ſed magno digna puella Iove.
Da veniam faſſo: decepit idoneus autor:
Non potui leto nobiliore mori.
Forte fere melior fuerat pars acta diëi:
(Quid prohibet faſſum dicere cuncta ſemel?)
Cum mihi littoreos mens inconſulta receſſus,
Et toties tritos ſuaſit adire locos.
Illa dies miſeri fatum mihi duxit amoris.
Naufragium mentis lux fuit illa meæ.
Heic oculos primò nimium formoſa Merilla
Attonuit noſtros, eripuitque ſuis.
Nec me defecit crudo pugnare furori,
Et premere ardores, & dare verba mihi.
Et nolle injectis animum ſubmittere flammis.
Quam gravis ah miſero lis fuit illa mihi!
Quod pudet & doleo: valuit ſententia pejor:
Iudice me victus, juſſus amare fui.
At tollit culpæ invidiam, quæ fecit amorem.
Evenit ingenio digna ruina meo.
Hanc ſi vel Mavors ſpectaſſet ſanguine crudus,
Exciderent digitis enſis & haſta Dei.
Ipſe adeo rediens victis bellator ab Indis
Abjiceret thyrſos, corde micante, ſuos.
Illa quidem bibulas pedibus calcabat arenas,
Quas Batavum primis alluit æquor aquis.
Pulchra verecundis viſa eſt illudere talis,
Et leviter ſummam radere veſtis humum.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Deque comis pars comta fuit, pars libera fluxit.
Qualis erat Veneris, cum ſtetit orta mari.
Quin & neglectum quiddam de pectore vidi.
Parte ſatis fuerat qualibet inde capi.
Ac primò ( teſtor flavos, mea retia, crines ;
Et fures oculos, qui rapuere meos ;
Neptunumque patrem ; virides Nereïdas omnes
Nympharum dixi ſanguinis eſſe Deam.
Is decor oris erat : talem ſe læta ferebat :
Dixiſſes Thetidis ſcilicet eſſe gradum.
Exculto qualis ſurgit hyacinthus in horto,
Quem tepidi ſoles, auraque verna fovet :
Qualia delectant ſpatioſo lilia prato ;
Seu quicunque placet qualis ubique color :
Talis in extento mihi littore viſa Merilla eſt.
Heu mihi, quam nocuit viſa puella ſemel !
Nunc ego perpetuos circumfero corde calores :
Nunc mea perpetuus viſcera carpit amor.
Illa meum neſcit, aut vult neſcire furorem.
Quam miſer eſt timido pectore quiſquis amat
Et trepido infelix : & abeſt fiducia votis :
Speſque metum perimit, & cadit illa metu.
Quod poſſum, totis ſequor hanc & ſpecto diebu
Hactenus audaci dum licet eſſe mihi.
Nec tamen hoc, niſi forte procul: ne ſentiat illa,
Et mea confundat plurimus ora rubor.
Illa Deæ ſimilis graditur formoſa per agros,
Aut tenero Cyprias demetit ungue roſas.
Qualis in Arcadia ſectatur Chlorida Faunus,
Oſculaque imponit, quam dea preſſit, humo.
Aut procul exceſſa deſpectat ab arbore nymphar
Nec tamen infelix inde levatur amor.
Quin miſer interdum facio convitia nocti.
Infelix meritum ſubtrahit illa mihi :
Gaudiaque inviſis abſcondit noſtra tenebris.
Illa quoque, ut peream, forte reperta fuit.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

At tibi, qui nitido præcingis fulgure frontem,
Officii, Titan; debitor hujus ero.
Tu nobis, quoties hunc orbem lumine luſtras,
Triſtitiæ blandum, Phœbe, reducis opus.
Hoc miſero ſupereſt. Quandoque in littore noſtro
(Littoris ad nomen hei mihi ſanguis abit.)
Aut teres æquatas radius conſcribit arenas,
Et leviter ſignat: PVLCHRA MERILLA MEA EST.
Aut dono rapidis mea vota involvere ventis;
Materiem inſano, ludibriumque mari.
Hic mihi tranſigitur vitæ modus: hoc fuit illud Prop. L. 1 E. 7 v. 9 & 10.
Nortvicum miſero cur habitanda foret.
At tu doctarum nova laus, ô Iane, ſororum;
Sed pariter jactat quem Cytheræa ſuum:
Te Veneris luſus merito fecere peritum, Prop. L. 1 E. 9 v. 7.
Te toties animo ſpicula fixa tuo.
Proficiam tiro ſub te, dilecte, magiſtro:
Militiæque novæ tu mihi ſterne viam.
Quæque, doce, poſſint mecum ſociare Merillam,
Quaque ſit à nobis arte regendus Amor.
Sic faveat puer ille precor; ſic præbeat idem,
Qui mihi nunc ſævit, mitia tela tibi.

## ELEGIA IV.

QValis, quē rapidus deprendit in ęquore nimbus
Quem crudelis hiems cingit & ira maris;
Ambigit, & partes animum convertit in omnes,
Inque metu dubius navita, ſpeque labat.
Iamque placet tortum pelago ſubducere linum,
Et rate, quo ventus, quo ferat unda, ſequi.
Mox parat invitis, fruſtraque negantibus undis
Obverſa portum puppe tenere ſuum.
Talis ego, dubio quem verſat turbine Cypris,
Cui non una minax ſurgit amoris hyems;
Huc feror, atque illuc: nec me permittere ventis;
Nec placet inſano pandere vela freto.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Sola ratem ſiſtet trita ſtatione Merilla.
Commodius nullo ſtat mea prora ſinu.
Hac mihi contingat tandem tellure potiri:
Heic ego deſpiciam, quicquid ubique mali eſt.
Sin mihi tempeſtas ſubmerſerit ante carinam:
Naufragii tabulas colligat illa mei.

ELEGIA V.

## *Ad Petrum Scriverium.*

DVm nova, Scriveri, meditantur federa Belgæ:
Splendida ſollicitos tum tenet Haga patres.
Et placet unanimas in pacem mittere gentes:
Et placet ad tutos ponere tela Lares.
Heic mihi Nortvici miſero nova bella geruntur:
Heic patior clades: nec datur ulla quies.
Non tamen iratus gladios diſtringit Iberus:
Nec pedites urgent: nec gravis inſtat eques.
Non ego, quas patitur, patior, Germania, ſtrages.
Ah alia miſeri conditione ſumus!
Prælia miſcet amor. crudelem novimus hoſtem.
Quàm facile eſt homini bella movere Deum!
Ille meæ reſidens dominæ inſidiator ocellis,
In miſerum mittit ſpicula mille caput.
Inde mihi veniunt mea vulnera: non tamen inde
Vulnera, quod debent, noſtra, levamen habet.
Nec mortem ſperare licet: nec vivere poſſum.
Hac videor dominæ lege placere meæ.
Tu tamen ingentes hortaris dicere Douſas,
Et cineres tanti concelebrare viri.
Nomina, Scriveri, latum tangentia cælum
Eſſe queunt magni non niſi vatis opus:
Non, niſi cui totas conceſſit Apollo ſorores:
Ingenii currunt flumina parua mei.
Dum tua, dum vivent præclara volumina GrotI,
Dum pulchra Heinſiadæ Muſa ſuperſtes erit.

Dou-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Douſiacæ laudes toto noſcentur ab orbe.
Hinc decuit tanti nominis ire decus.
At nobis Paphiæ convitia dicere Divæ,
Et dominæ liceat de feritate queri.
Da veniam, Scriveri; & te quoque torſerat Anna:
Illa licet votis non gravis Anna tuis.
Hei mihi, quid ſuperos tandem mihi fecit iniquos?
Cur agitur vento non mea cymba tuo?
Te cito felicem, ventiſque ferentibus uſum,
In portus placido flamine vexit Amor.
Heinſius argutæ cum ferret baſia Roſſæ,
Vix ſemel ad ſurdas fleverat ille fores.
De domina nihil eſt, niſi tantum injuria, mecum;
Et querulæ voces; & male gratus amor.
Verbaque cum lacrimis ſurdo jactata profundo,
Quà Batavã Nereus cærulus ambit humum.
Heu queror: heic toti facio convitia cælo:
Heic ego me nullos clamo putare Deos.
Et jam cęrulei noſtros Delphines amores,
Neptunuſque pater, Nereideſque ſciunt,
Et fulicæ, & circa volitantes æquora lari,
Hei mea littoreæ fata queruntur aves.
Heic ego vicinis inſcribam denique ſaxis,
Quod procul ex alta navita puppe legat;
Dumque legit duris dicat mala multa puellis:
AUTORES DOMINAE SAXA FRETVMQVE MEAE.

## ELEGIA VI.

NVnc ego Siſyphium video me volvere pondus:
Spem refugæ fruſtra nunc ego ſector aquæ.
Me torquet, rutilum cum Phœbus promovet orbẽ,
Me, quoties feſſum gurgite mergit, amor.
Cum tamen, illa mei triſtiſſima cauſa doloris,
Ignoret flammas ſola Merilla meas.
Nõ bene conveniunt amor una in ſede, pudorque.
Quam miſer omnis amãs, cui nimis oris ineſt!



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Ah, quoties conor tanti dare ſigna furoris,
Vulneribuſque meis quærere feſſus opem ?
Cum ſubito pereunt trepido mihi verba, notæque.
Sive eſt ruſticitas, ſeu pudor iſte meus.
Et libet, & timeo : quantumque audacia movit,
Et bene profecit, deſtruit ille ſemel.
Omnia conſtituo, & memet ſuper omnia culpo.
Interea timidus robora ſumit amor.
Non mihi ſpem poſſum debere diutius illam.
Quicquid erit : fortes non decet iſte timor.
Non ſunt deſidiæ formoſi præmia amores.
Iam bona conſtanter præda petenda venit.
Quis neſcit, quoties teneram captaret amicam,
Perſonas ſolitum ſumere mille Iovem ?
Non potuit ſponſam Scæneïda ferre ſedendo
Hippomenes. Odit Forſque, Venuſque pigros.
Aut ego non novi, quantum fiducia poſſit :
Aut facilem dudum ſuſpicor eſſe viam.
Stat mihi, vel precibus tenerum convellere pectus.
( Et dicunt humiles pondus habere preces. )
Aut tremulas lacrimas verba inter ſingula fundã.
(Et lacrymas dicunt vel ſine voce loqui.)
Quod ſi noſter amor tantum non frontis habebit:
Orabit cauſam littera ſcripta meam.
Forte etiam facilis bene ſe præbebit amandam.
Forſitan & vanos res habet illa metus.
Vt faciem vidi, nil prætulit ille ſeveri.
Mite, velut vultum, cor quoque forſan habet.
Sin ſpernor, nec amat (nullũ ſit in omine pondus.)
Quæ capiant duram, ſunt mihi mille modi.
Non ſum qui factum verſuti culpet Acontl.
Eſt ſatis incautis inſidioſus amor.
Invenit & laudem mecum Pegaſæus Iaſon,
Et Paris, hoſpitii qui temerator erat.
Nil male tentat amor, ſive id vel turpe, vel audax.
Conare : addicent heic tibi ſemper aves.

Pulchre

Pulchre emitur, quicquid cœptis immanibus emtū
  Non eſt conſilii, nec rationis amor.    (eſt.
Vltima, quod ſupereſt, rabidi tentamus amantes:
  Vltima cum tentat, præmia ſudor habet.
Poſſumus iratis puppes obvertere ventis,
  Si miſeris placido non licet ire mari.
Poſſumus & rigidam pulchre contemnere mortē.
  Maximus ô utinam ſit timor iſta meus.
His Venerem potius colimus, quā thuris honore,
  Quam de formoſo ſi cadat agna grege.
Quin mihi nec facta Lacedæmon claſſe petēda eſt:
  Non, ut amer, ratibus me jubet ire Venus,
Non mea trans pontū me quærere vota natando,
  Nec mihi nunc terras dividit unda duas.
In noſtris oculis, tanta eſt vicinia, vivit:
  Tangitur & noſtra pene Merilla manu.
Quid fugio donis victum penſare pudorem?
  Non poterit merces eſſe labore minor.
Illa meo imponet fiducia brachia collo,
  Æthereum cingunt qualia nulla Iovem.
Et dabit in roſeis amenti hærere labellis,
  Delitiaſque ſuas, blandaque verba loqui.
Sin minus eveniet felix audacia prima,
  Excutiar cæptis non tamen ipſe meis.
Vidi fallaces toties qui fugerat hamos,
  Perrupta piſcem poſt jacuiſſe gena.
Sic quoque, quam vitat, volucris corrumpitur eſca.
  Sic quoque poſt centum retia capta fera eſt.
Sæpe etiam multum defenſi, poſtmodo dextra
  Non magis hoſtili, quam cecidêre ſua.

## ELEGIA VII.

### *Ad Cupidinem.*

BLande puer, toto qui leges figere cœlo
  Diceris, & magni ſpernere fulmen avi.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Spicula cui teretem diſtendunt parva pharetram:
  Illa tamen feriunt ſpicula parva Deos.
Illa Stygem penetrant, & ſcilicet orbe ſubacto,
  Poſt domitos ſuperos, tertia regna petunt.
Blande puer, ſi rite olim tua caſtra ſubivi:
  Ipſe pie colui ſi tua ſacra puer.
Pene infans primo calui cum Phyllidis igne,
  Et teneros annos jam ſuus uſſit amor.
Parce tuis tandem caput hoc implere ſagittis:
  Parce precor, pœnæ non ſatis unus ero.
Nulla Deo laus eſt hominem ſine viribus unum
  Vincere: vince duos: palmaque major erit.
Hei mihi quã vereor, ne, cum conſumſeris omnes,
  In dominam veniat nulla ſagitta meam.
Hinc te materiam virtutis quærere fas eſt.
  Heic tibi ſint arcus, heic tua tela volent.
Poſt domitos victoſq; viros, Phœbumque, Iovemq;
  Vna tuo mulier numine major erit?
Si pudor eſt, iram diſcat matriſque, tuamque,
  Quoſque negat, magnos ſentiat eſſe Deos.
Me miſerum, nunc illa ferox impune ſuperbit,
  Et toties veſtras ridet inulta faces.
Ille ego, qui nunquam vobis mea colla negavi,
  Mancipium pulchræ matris, & inde tuum,
Ille ego ni tantis morerer cruciatibus, eſſent
  Scilicet imperii jura minora tui.
Quod mihi delictum eſt? vel quæ querar aſtra mi-
  Quas mihi tam duras volvere fata Deas? (nari?
Non mea Lemniadũ genitrix de matribus una eſt;
  Cur percam, proavi non meruere mei.
Nec Phäethontiadum dicor de gente propago:
  Nec Diomedéæ ſuffero fata domus.
Sicut & Hippolytus vita crudeliter acta
  Eripui numeros non tibi, dive, tuos.
Blande puer, merui tandem cur parcere velles.
  Hactenus immiti ſufficit eſſe tibi.

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Quod petimus, juſtum eſt. aut vincula noſtra re-
Aut eadem dominæ vincula necte meæ. (mitte:
Sic te crudeli percellat Gorgone Pallas
Parcius, & leges diſcat amare tuas.
Nulla tuos ungues, quoties præſepibus aufers
Diſpoſitoſque favos, mellaque, pungat apes.
Si tamen obduras, ſi nil tractabilis audis,
Si mea pro vano verba preceſque cadunt;
Ille tener toto plores mille ulcera tergo,
Ridiculus ſuperis, ridiculuſque mihi.
Carduus & miſtis urens urtica myricis
Dent tibi proque roſis, pro violisque, torum.
Ille tener, quoties incumbit frigidus annus,
Triſtis in Edonis montibus exul agas.
Heic ubi Threïcias Hebri rapit impetus undas,
Vaſtaque perpetua ſub nive terra latet.
Herculei quoties conſcendit terga leonis
Phœbus, & arentes Sirius urit agros,
Ad procul informes abigaris inutilis Indos,
Quodque ſerunt Arabes, Æthiopeſque ſolum.
Quaque celer dubio Nilus devolvitur ortu,
Et patriam tantæ nunc quoque celat aquæ.

## ELEGIA VIII.

### *De muliere, quæ Amſtelredami uxorem duxerat.*

OMnia jam credo. nunc Atlas fulcit olympum
Scilicet, & Perſeus alite fertur equo.
Nunc etiam ligno tenerum per corpus oborto
Peneïs ad patrias conſtitit arbor aquas.
Dædaleas alas: injectum Pelion Oſſæ:
Ventribus hærentes, inguinibuſque canes:
Cumque his ambiguas Sirenes credere poſſum:
Semibovemque virum: ſemiviroſque capros.

Ovid. Trist. l.1 el. 8 init.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Cum ſe ſexus amet, nubatque puella puellæ;
   Omnibus hiſtoriis cogor habere fidem.
Non ignota loquor. jam gryphes junge caballis:
   Inſidiatorem jam fuget agna lupum.
Ordine cuncta dabo. Batavæ ridete puellæ.
   Heic demum tacito non licet eſſe mihi.
Et peream, ſi non invitent omnia riſum.
   Qui non afficitur, ferreus eſſe poteſt.
Amſtelios nulli licet ignorare potentes,
   Mæniaque ornatu conſpicienda ſuo.
Heic ubi ſurgentes immenſis molibus ædes,
   Divitias unæ quælibet urbis habent.
Præcipue lepidis multum laudata puellis.
   Liberior nulla regnat in urbe Venus.
Heic mulier nuper, vel, ſi fas credere, virgo
   Veſte viri ſexum diſſimulata fuit.
Præmia militiæ jam tres ſectata per annos
   Geſſerat imbelli non ſua tela manu.
Fœmina quo tendis? non cultus convenit iſte:
   Non poſſunt digitos arma decere tuos.
Quid tibi cum gladiis, & acutæ cuſpidis haſta?
   Non tibi bombardæ, non tibi facta tuba eſt.
Iſta manus tremulis adnectat licia telis.
   Aptior eſt operi lana coluſque tuo.
Vtiliter nunquam ſe credidit aurea pugnæ,
   Illa licet Scythici Martis amica Venus.
Et calathi vobis, facileſque agitentur amores.
   Bella gerant alii: fœmina ſemper amet.
Quis ferat in Bacho laurũ: pharetramq;, fideſque?
   Si quatiat thyrſos Phœbus, ineptus erit.
Quid ſi flaventi ſua tempora Delia ſpica
   Cingeret? arcitenens ſtaret ubique Ceres?
Aut potius, ſi te propior plus tangit imago,
   In manibus patitur quis data penſa viri?
Illa tamen ſexumque ſuum, tenerumque pudorem
   Exuit, & miles maluit arma ſequi,

Nec

Nec ſtetit hac fini (metas audacia tranſit,
  Vt primum impulſa eſt, depuduitque ſemel)
Iamq; meus Sthenelus, quod amet quod ludere poſ-
  Quærit: & arma ſubit, militiamq; novam. (ſit,
Mox captat varios procus ambitioſus amores;
  Plorat & ad ſurdas nocte, jacetque fores.
Exprimit & gemitus, quos novimus eſſe virorum:
  Exprimit & lacrymas, blandaque verba refert.
Denique furtivum jam non meditatus amorem
  Conjugium poſcit, legitimamque facem.
Artibus his donec non peſſima mota puella eſt:
  Viſaque ſimplicitas eſt ea poſſe capi.
Iam quoq; ceu ſponſus, nec nō formoſus, amatur.
  Aſpiceres, nulla parte pigendus erat.
Iam quoq; (quis credat?) ſocialia ſacra parantur,
  Ridiculaſque faces ventilat acer Hymen.
Ipſa Venus cernens de ſummo riſit Olympo,
  Et dixit: volucres lentius ite meæ.
Et dixit: quæ jam in ſponſi non frigida vultu
  Aſſidet, heu votis excidet illa ſuis.
Merſus erat Batavo feſſus modo gurgite Phœbus,
  Heſperus & fuſco roſcidus ibat equo,
Iamque parens Sponſæ fulcrum geniale locavit,
  Et, pede felici, filia, dixit, eas.
Omina quæ captabat anus, vade, inquit, amata:
  Non tibi vulgaris ſternitur iſte torus.
Illa ſolo infelix oculos dejecta verentes
  Vadit, & in vultu ſigna paventis habet.
Qualis in amplexus, ſed primos, Tyndaris olim
  Pliſthenidæ madidis dicitur iſſe genis.
Ipſe novus riſit convitia feſta maritus
  Ad thalamum à pueris, virginibuſque cani:
O felix una ante alias, felicior illo,
  Qui fovet in molli nunc tua membra ſinu.
Obſequere audenti, quamvis pudibunda, marito.
  Ille tibi Veneris præmia blanda ferat.

Non

Non illo melius quiſquam conſumere noctem,
Fallereve optata mobilitate queat.
Virg. Aen. Et tandem multa faciat te prole parentem :
l. 1 v. 79. Ludat ut ad patrios parvula turba pedes.
Audiit à ſummo Saturnius æthere ridens,
Et dedit infreni vota ferenda Noto.
Interea trepidat ſponſa inter ſpemque, metumque:
Gaudiaque innumeris fingit inepta modis.
Præliaque exſpectat, ſed qualia prælia miſcet,
Cum jacet infuſus Mars, Cytheræa, tibi.
Miraturque moram, & quoties ſe concutit ille,
Principium voti credit adeſſe ſui.
Ille nihil, nec enim cupientem vana moratus
Languida dat tepido colla ferenda toro.
Et jacet, & toto ſpirat de pectore ſomnos,
Vlterius ſponſi nil habet illa ſui.
Sic etiam teneræ tanguntur veſte puellæ :
Sic jacet in fratris virgo pudica toro.
Quid petis infelix decerpere quercubus uvas ?
Non ſua quæ carpas mala, racemus habet.
Quid miſera in nudo veſtigas littore fruges ?
Non deſiderio fit ſatis inde tuo.
Scyrias Æaciden, quem credidit eſſe puellam,
Poſtmodo non nolens credidit eſſe virum.
Illa tamen melius decepta : ſuperfuit illi :
Tu miſera in ſicco pumice quæris aquam.
Iamque ierant noctes aliquot, cœpitque puellam
Frigoris ( & merito ) pænituiſſe ſui.
Donec neſcio quid tetigit mœſtiſſima virgo;
Ah trepidam dextram dum malus error agit.
Vtque nefas ſenſit, tanquam quæ preſſerat anguē
Horruit, & toto corpore nulla fuit.
Mox ubi mens rediit, palmis percuſſa lacertos
Flevit, & invaſit unguibus ora ſuis.
Fit ſtrepitus tectis ; plorant materque, ſororque :
Ovid. Trist. Et facies captæ ſcilicet urbis erat.
l. 1 E. 3 v. 26.

Turban-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Turbantur cives : currit vicinia tota :
 * Plurimus in tanto turbine riſus erat.
Vndique riſus erat. Solæ flevêre puellæ,
 Heu ſimiles ſperant dum ſibi quæque viros.
Protrahitur tandem turbata fronte maritus,
 Et jam pro cara conjuge vincla gerit.
Proque toro ſponſæ vectes, & clauſtra tuetur :
 Quotque videt manicas, tot putat eſſe faces.

## ELEGIA IX.

### *Ad Merillam.*

QVod ſi non eſſes veſtris immitior undis,
 Si non in tenero pectore ſaxa forent :
Iam dudum poteras precibus ſuccumbere noſtris,
 Et lacrymis tantis tradere victa manus.
Nunc mea diſcerpunt inſanæ vota procellæ,
 Et prope ſpumantis obruit unda maris.
Ipſe licet clamem : dilecta quid obſtruis aures ?
 Deſine : inhumanam ſufficit eſſe ſemel.
Vel tibi jam nullũ eſt ; vel non, fera, quale decebat
 In tam formoſo corpore pectus habes.
Cur potui infelix argutis credere ocellis,
 Cur aliquid flavis, dura Merilla, comis ?
Si nihil exaudis, ſi nullo flectere queſtu,
 Gaudia ſi de te nullus amator habet.
Me quoque quicquid erat potius neſcire juvabat.
 Vix facies tanti, totaque forma fuit.
Quo magis inclamo, minus & minus utilis aſto,
 Reſpuis averſa tu tamen aure preces.
Interea fugit ora color, tenuantur & artus.
 Sic videor duræ poſſe placere tibi.
Inſpice, ſi fas eſt, noſtros, age ferrea, vultus :
 Inſpice ſævitiæ pulchra trophæa tuæ.
Vt moriar ſupereſt. ibit ſine labe triumphus.
 Et moriar : palmæ ſumma ſit illa tuæ.

Te ſatis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Te ſatis eſt noſtræ laudem conquirere mortis,
Inque brevi duram marmore ſæpe legi.
Hunc titulum cernas titulis accedere tantis;
Hinc quoque fama tuæ nobilitatis eat.
Quæ nunc evectâ per avorum nomina ſtirpe
Non humili quondam ſanguine nata, tumes.
At mea quod paucæ commendant atria ceræ,
Quod celebres nullos præfero, ſpernor, avos.
Attamen æquoream bene amavit Tethyda Peleus:
Ille quidem magnus, ſed Dea Tethys erat.
Candida Siſyphidem cum fleret abire Calypſo,
Ni fallor, generis non fuit illa memor.
Endymion Lunam tenuit mortalis in ulnis:
Nec tamen Endymion turpis amator erat.
Quin mihi nec mens eſt ignobilis: heic ego gentē,
Heic titulos ſtirpis credor habere meæ.
Ingenui mores: animus ſine crimine: purum
Pectus: & in puro pectore cana fides.
Nulla dolis queritur noſtris decepta puella.
Nulla mei ſpolium mœcha pudoris habet.
Hoc genus, hæc noſtri menſura eſt ſanguinis una.
Sic reus indignæ poſtmodo ſtirpis agar.
Et colimus Muſas. eſt pars quoque laudis in illis.
His ego fortunæ damna rependo meæ.
Hinc quoque, ſi neſcis, ſurrexit gloria vobis:
Hinc quoque, ſi neſcis, non leve nomen habes.
De tanta rerum turba, factiſque tuorum
Maxima laus noſtras eſt coluiſſe Deas.
Et nos ſi fas eſt aliquid committere famæ
Poſſumus, & nobis non rude pectus ineſt.
Et tibi de noſtris quædam ſperanda Camænis,
Si non mens nimium læva fuiſſet, erant.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

# ELEGIA X.

## *Ad Amicam in Angliam navigantem.*

TRans mare vicinos petiit mea vita Britannos.
O faciant celeres ventus & unda vias.
Nam cum non lacrymis, non vocibus illa tenetur
Ferrea, quid reſtat nunc, niſi vota, mihi?
Quin ego ploravi; quin diſſuadentia verba
Addidi; &, ô, dixi, quam grave quæris iter!
Non tibi tot ſylvis petitur formoſior Haga:
Qua tendis, tumidum per mare ſola via eſt.
Heic tu nec flores, nec prata nitentia cernes:
Vndique, quod videas, nil, niſi pontus, erit.
Et ſuperimpendens cunctis mortalibus æther:
Forte etiam fuerit nubibus ille minax.
Et quæ marmoreo fert mõſtra ſub ęquore pontus,
Effera, non uni pernicioſa rati:
Quæ quoties undis inſueta natare videbis,
Quam tibi tunc toto nullus in ore color.
Nec volucris canet ulla. hæc ſunt ſolatia ruris.
Hei mihi, quam longe tunc Philomela tibi.
Inter inhumani clamorem & jurgia nautæ
Auditur toto nil, niſi triſte, mari.
Ingratus quoties per funes ſibilus exit;
Aut ſtrepit, impulſum cum premit unda latus.
Non tibi ſunt, mea vita, pedes, nõ mébra, manuſq;,
Horrida quæ poſſint tranſtra, ratemque pati.
Heic tibi non plumæ ſomnum, non ſtragula du-
Vteris ſomno commodiore domi. (cent.
Heic quoties motam gravis impulit unda carinã,
Excuſſa inſtabili deſtituere toro.
Quin tua nec potus, cum ſummus vertitur aër,
Pallida nec poterit, ora juvare cibus.
Hactenus ô aliquid patieris carcere peius.
Nam tibi pro duro carcere navis erit.

Vix

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Vix ſeptem tabulis tota eſt compacta carina.
Poſt ſeptem tabulas cætera pontus erunt.
Hei mihi,quam tenui ſecernis limite fatum!
Cur loqueris morti de propiore loco?
At nuper laceraſque trabes, puppemque revulſam
Ludibrium noſtri vidimus eſſe maris.
Cum procul adſtares deſerto in littore mecum.
Et,memini,facies tunc quoque flentis erat.
Vnde novus rigor hic? quæ tanta ferocia mentis?
Cur nunc attonitæ non venit ille timor.
Ah vagus æquoreas ſolus ſecet inſtitor undas:
Trajiciat tumidum nulla puella fretum.
Ille peregrinas, redimens compendia, gentes
Vndique,per vaſtum Nerea,ſæpe petat.
Adſueſcant teneræ tellurem habitare puellæ,
Fontibus irriguam,fluminibuſque ſuis.
Quod ſi tantus amor pelagi eſt, undæque marinæ:
In bibulo ponant littore ſæpe pedem.
Heic lepidi juvenes pugnantem quilibet unam
Abripiant primis fluctibus obruere.
Hactenus inclamare Deos in littore tutum eſt:
Perniciem citra,naufragiique metum.
Quod ſi me,mea vita,fugis; ſi denique nuper
Eſt tuus in noſtri tædia verſus amor:
Exerces nimiis ſtantes mercedibus iras;
Si,dum me fugias,ipſa perire potes.
Iuſſeris,aufugiam: ne ſim tibi cauſa doloris.
Exiliique mei pæna ſuperſtes ero.
Diximus.erubuit,lacrimiſque Merilla ſubortis,
Oſculaque admiſcens mille,revertar,ait.
Pluraque dum voluit,lacrimæ tenuere loquentem,
Vix potuit paucis; ſum tua. deinde; vale.
Æole,tu placidum per Nerea,lenibus auris,
Quando ita fata volunt, gaudia noſtra vehe.
Dumq; vehis,nullus,pontum ſubeuntibus hædis,
Aut tumidum Boreas,aut Notus æquor agat.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Tu quoq; dum poſitis, Neptune, vagaris in undis,
Oſtendas dominæ ſidera dextra meæ.
Hactenus hanc commendo ratem. dum Theſſala Tyro
Alcyoneque tibi maximus ardor erit.
Quin & Amymone, nondumque comata colubris
Quem tenuit, teneat nunc quoq; virgo locum.
Interea properet, pelagoque Merilla remenſo
Pendeat à collo, ſarcina grata, meo.
Dum properat; dans vela rati, tener ipſe, legenſq;
In pulchra ſedeat puppe magiſter Amor.

## ELEGIA XI.

### *Ad* CASPAREM BARLÆUM.

### *Amorem ſuum pudicum eſſe.*

Pieridum, Barlæe, decus: quem juret Apollo
Virgilio æternis verſibus eſſe parem.
Dum te Mæonius ſublimem ſpiritus implet,
Et numero cantas ſigna, viroſque gravi.
Seu modo magnanimis circumdas arma Batavis,
Naſſaviique refers mille trophæa Ducis.
Seu modo non victas educis in æquora claſſes:
Dum fugit, & tantas deſerit hoſtis opes:
Me tener in dominæ gremio, poſt oſcula, noſtræ,
Vt ſolet, exiguo carmine donat Amor.
Hæc voti menſura mei eſt. ſi crimen amare eſt;
Vnius potero criminis eſſe reus.
At non immodice, nec, quantum vulgus, amamus.
Hæret honeſtatis limite noſtra Venus.
A caſtis ſcelus eſt nimium ſperare puellis.
Me miſerum, ſcelus hoc cur prope nemo timet?
Ah pereat, quicunque vagos ſectatus amores
Præmia direpto ſæpe pudore tulit.
Ah nunquam caſta lætetur conjuge; quiſquis
Nomen amatoris inſidiator habet.

Hunc

Hunc ego majorum potuiſſe revellere manes,
Et patrios credo contemeraſſe rogos.
Hunc quoq; germanas corrumpere poſſe verédas,
Et puto maternam ſollicitare fidem.
Eſt aliquid preſſis animum retinere lupatis.
Scilicet & frænis indiget acer Amor,
Qui ſimul admiſſus laxatas ſenſit habenas,
Fertur,& in campos fulminis inſtar abit.
Scilicet iſte Amor eſt, rupes qui tranſilit altas:
Et glaciem patitur, Sithoniaſque nives.
Ille per oppoſitos fluviorum carpere fluctus
Vaſtaque nudatos æquora ſuadet iter.
Ille ignem,& rabidos furioſus corripit enſes;
Et nectit laqueos,& minitatur aquis.
Ille cruore ſuo ſcenas infecit & orbem.
Seu repetit raptas undique, ſive rapit.
Hinc quoque privigni tabeſcit amore noverca:
Hinc miſeri attonitis diripiuntur equis.
Illius auſpiciis mœchus præfertur Atridæ:
Illius auſpiciis cum patre nata cubat.
Seu tandem quocunque Tragœdia carmine crevit,
Et legitur totis ſcripta voluminibus.
Ignibus at quiſquis flagrat, ſine labe, pudicis,
Et ſequitur caſtas; is mihi ſolus amat.
Non parat inſidias: non utitur ille tenebris:
Non tacitos noctu dirigit ille pedes.
Nec didicit furtim caſtis obrepere lectis.
Eveniat noſtris hoſtibus ille furor.
Arboreos fructus caute decerpit agreſtis;
Improbus avulſa cortice raptor abit.
Caſtus amans modice libat de fonte cadentes,
Turpiter ingreſſus polluit alter aquas.
Caſtus amor meus eſt. non poſſumus eſſe protervi.
Non mea ſurripio crimina: livor abi.
Sufficiat meruiſſe aliquid, placuiſſe Merillæ.
Invidiam candor detrahet ille mihi.

# ELEGIARVM
# JUVENILIUM
# MONOBIBLOS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

*Nobiliſſimo, Doctiſſimoque Viro,*

# JACOBO WESTERBANIO,

Equiti, Domino in

BRANDEWIICK,

VINCENTIVS FABRICIVS

*S. P. D.*

*CVm ante menſes aliquot Nortvici nos inviſeres, Vir Nobiliſſime, licuit profecto mihi quamvis ex brevi congreſſu inſpicere, qualis, quantuſque eſſes. cujus in tanta fortunæ eminentia, cum tot dotibus animi corporiſque ſis conſpicuus, qui humanitatem incredibilem, ſuaviſſimoſque mores non admiretur magis, parum convenienter de te judicaſſe cenſeri poſſit. Etenim profecto peſſimo exemplo videmus pleroſque inter obſequia votorum ſuorum naturam dediſcere; ita quidem, ut pauciſſimis omni ſeculo mortalibus contigerit arrogantia carere, cum abundarent fortuna. Tu adeo oſtendiſti vel*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

*ſti vel maximarum rerum capacem te animum gerere: ut quas ante gratis virtutes coluiſſes, eas ſumpta quaſi mercede nullo modo tibi relinquendas eſſe ſtatueres. Quod ut magnis ingeniis agnatum eſt; ita invidiam, quæ indiſcreta eſt felicium pediſſequa, retundit. Vt itaque, quanti te facerem, publice teſtarer, elegiarum hunc libellum in nomine tuo apparere volui. tenuem illum quidem, & in patria mea à pene puero maximam partem confectum: eo tamen nomine, ut opinor, tibi gratum futurum, quod pleraque in eo legantur, quæ me ab iis artibus, quibus tu tantopere caperis, à prima ætate mea non abhorruiſſe argumento ſint. Nemini autem obſcurum eſſe arbitror, quo loco hæc ſtudia habeas, niſi qui aut non viderit pulcherrima ingenii tui monumenta: aut omnino, quod evitare non poſſunt, qui poëſin aſpernantur, ſenſu communi careat. Secundi Baſia nemo, opinor, ſine admiratione perlegit. Ea autem in ſermonem ve-*

*ſtrum*

ſtrum à te converſa inenarrabili ſua ſuavitate ita me ſemper afficiunt ut propemodum excantent. Vt heic reliqua tua prætercam. quæ, præterquam quod idioma veſtrum ( quod magis magiſque indies experior ) Græcæ linguæ indolem & genium habet, tanta facilitate, & propemodum non imitabili lenitate & dulcedi..e fluunt; ut, qui omnia ſubito facta eſſe crederet; mutare tamen ſententiam cogatur, cum à cura & ingenio ita cuncta conſummata eſſe animadverterit; ut qui addere aut demere aliquid velit, omni judicio deſtitui exiſtimari poßit. Quod ex tota antiquitate nulli unquam, niſi ſoli contigit Ovidio. Vides itaque, quam non ſit tui arbitrii adſpernari hæc noſtra. Qui & humanitatem tuam privatim novimus: & amœnitatem ingenii cum infinitis publice cognitam habemus. Cum ergo moroſus & arrogans, etſi ipſe velis, eſſe non queas: Poëſin autem ſi odiſſes, naturæ tuæ vim faceres: ſumſi eam confidentiam mihi, ut elegias has adoleſcentiores,

cum

*cum meæ diutius eſſe nollent, tuas eſſe juberem. Quas ſi in clientelam tuam recipis: facis tu quidem, quod ſoles, ut nihil humanitatis in te deſiderari ſinas. ſin reſpuis, & excludis: illæ minus patiuntur, quam meruerunt.*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

VINCENTII FABRICI

# ELEGIARVM JUVENILIVM MONOBIBLOS,

*Sive earum, quas admodum adoleſcens ſcripſit, reliquiæ.*

---

## ELEGIA I.

*Dulciſſimæ Phyllidi ſuæ parentat.*

EXactis alter jam volvitur orbibus annus,
Et memini menſes præteriiſſe duos.
Cũ tibi defunctę ſtruxi pulcherrima Phyl-
Abſenti fictum, triſtia dona, rogum. (li
Indomitus ſurdis quem nunc præterfluit undis
Æquoreas præceps quà petit Albis aquas.
Quod potui, tumulum decoravi floribus omnem,
Et fudi in tenuem mollia vina pyram.
Et violas ſparſi, & ſignavi carmine buſtum:
HEIC. SVA. DEFLEBAT. GAVDIA. FABRICIVS.
Hæc, diva ô virgo, cæleſti ſede recepta,
Conſcia triſtitiæ ſint monumenta meæ.
Hæc vultum, moreſque tuos, ſanctumq; pudorem,
Quæque mihi dotes, & placuere Deo;
Hæc referant oculos, qui me, dum fata ſinebant,
Inſuetum flammis implicuere novis.
Hæc referant illam, quæ Dîis tot teſtibus olim
Suſcepta eſt nobis non violanda, fidem.
Cum tibi juravi, deînceps ſine amore futurum,
Si raperent avida te tua fata manu.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Adfuit, & præſens, ut erat, mea verba notavit
  Ipſamet, & memori condidit aure Venus.
Quam brevis illa fuit miſero, & nō vera voluptas!
  Quot bona, me miſerum, mors dedit una neci.
Nec mihi jam ſolitis collum tetigiſſe lacertis,
  Aſpectuque licet, colloquioque frui.
Nec mihi ſpes ſupereſt dominā prius ulla videndi,
  Quam premat immitis hoc quoq; Parca caput.
Nec licet. at, quid ego hæc nequicquā ingrata re-
  Nil licet. æternùm ſed doluiſſe licet. (volvo!
Heic ego nunc ſedeo mœſta evinctus cypariſſo.
  Conveniens noſtris luctibus arbor ea eſt.
Et, quà collapſum eſt, reparatum digero buſtum,
  Dirutaque in ſedes colligo quæque ſuas.
Inde importuno dejectos turbine flores
  Sede ſua moveo, ſubſtituoque novos.
Arentes illos, & jam langueſcere juſſos,
  Et quando pluuia deſtituuntur aqua,
Irrigat à noſtris qui depluit humor ocellis:
  Humor abundantis qui fluit inſtar aquæ.
Quæq; datas tumulo, ſignum ferale, cupreſſos
  Murmura, quæ ſparſas perſtrepuere roſas,
Nulli cauſantur venti: ſuſpiria noſtra
  Hos agitant motus, & leve murmur alunt.
Denique, quæ bibulas vos perſonat undiq; ripas
  Eſt teſtis luctus, indiciumque mei.
Triſte canit mecum viridi Philomela ſub umbra,
  Et lacrimas flenti commodat una ſuas.
Ipſe meo fletu, triſtes miſeratis amores,
  Albis in indomitis fluctibus ingemuit.
Ingemuit: non illa juvant ſolatia, dixit,
  Tædia ad ingratum plurima ferre rogum,
Quā miſer eſt, qui nullus amat: ſed ſtultior ille e
  Mortua qui infelix ad ſua vota vocat.
Decrepitos lugere juvet: florentior ætas,
  Dum licet, & fas eſt ludere, ſemper amet.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Ipſe ego ſi fluctus, quos perdo, perire dolerem;
Cauſa foret lacrymis quælibet unda meis.
Vnda undam ſequitur. ſi defluet illa, ſequetur
Altera: materies quælibet apta mihi eſt.
Non omnes eadem rapuerunt fata puellas.
Crede mihi, ad tantum non facit una gregem.
Crede mihi, in ſylvis quæcunq; exſcinditur arbor,
Non quod ubique vides, abſtulit una nemus.
Dii melius. ſuperant aliæ: tua meſſis in herba eſt:
Et, tibi quæ placeat, quælibet hora dabit.
Iam quoque neſcio quæ mentem formoſula flexit,
Et potuit ſenſus ſollicitare tuos.
Perge modo, hæc illa eſt, quam non contemnere (poſſis,
Nullus erit, quiſquis nullus amator erit.
Non eſt, quod Venerem, puerique Cupidinis iras,
Aut triſtes metuas in tua fata Deos.
Divitiæ cupidis, & opes addantur avaris:
Et tamen iratas perge timere manus.
Non minuet ſua regna Venus: contraria non eſt
Quicquid agas, votis Cypris, Amorque ſuis.
Dixerat. occuluit tremulum caput abditus undis.
Nec potuit curas ille movere meas.
Hoc juvat; & lacrymis, & queſtibus indulſiſſe.
Lætitiæ tumulus meta ſit iſte meæ.
Heic me perpetuis confectum fletibus olim
Condite, & has noſtras, ô ſocii, exuvias.
Tu, Lundi, triſti carmen ſuperaddito buſto,
Aut hoc; aut liceat ſubſtituiſſe tuum.

FABRICIVS. PHYLLIS. PIETAS. CONSTANTIA. AMANTVM.
QVATVOR. HOC. VNO. CLAVSA. IACENT. TVMVLO.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

## ELEGIA II.

## *Ad* BRODERVM PAVLI I C. *in Holſatiam revertentem,*

QValis męſta parens natũ inter ſpemq; metum;
Abſentem lacrimis invocat uſque ſuis :
Temporaq; optati adventus , ſoleſque propinquos
Anxia ſollicitis dinumerat digitis.
Sæpe timet,reditusque ſibi quem dixerat olim,
Promiſſum queritur præteriiſſe diem.
Quique ſolent caſus,quæcunque pericla nocere
Et ſæpe ingrata detinuiſſe mora ;
Hæc ſibi fingit amans,& in omni pallida ſorte
Angitur,in luctus ingenioſa ſuos.
Sive viæ valido obſeſſæ narrantur ab hoſte :
Creditur hoſtili procubuiſſe manu.
Sive venenatos ſpargunt contagia morbos :
Creditur infeſtæ præda fuiſſe neci.
Omnia cum metuat : ſperat tamen omnia demum.
Fluctuat ut dubiis acta carina Notis.
Ipſus donec adeſt,& præſens omnia tollit
Filius adventu ſpemque, metumque ſuo.
Accurrit genitrix,natique infuſa lacertis
Oſcula per longas dat repetitã moras.
Et trepidat miſera,& media inter gaudia plorat
Vix quoque tunc credit non ſibi verba dari.
Sic te,divinæ Themidis Brodere ſacerdos,
Accipiet dulci patria terra ſinu.
Gaudebitque ſuis tandem retinere lacertis,
Quem toties tanta flevit abeſſe mora.
Scilicet undecimæ redierunt frigora brumæ,
Fecit & Autumnos Plëias orta decem :
Poſtquam longinquas, vir magne,remotus in as
Liquiſti patrii dulcia rura ſoli.

Nunc

Nunc demum optatoſque lares, Cimbroſq; reviſes,
Et recoles tantæ tædia longa viæ.
Et velut Ægëis cum navita feſſus ab undis
Proſpicit optatas non procul eſſe caſas;
Lætatur, ſociique, & dant charæ oſcula terræ,
Dulichius patriæ quæ dedit ante ſuæ.
Sic quoque poſt viſas per tot diſcrimina gentes
Mollia concipiens otia, lætus eris.
Cum tamen accipiet reducem te Cimbrica tellus,
Turpis erit ſciſſo conſpicienda ſinu.
Scilicet immunda eſt: ornatus abſtulit hoſtis,
Nunc tegit albentes trita lacerna pedes.
Forte tument oculi: ſignum eſt, fleviſſe ſuorum
Direpta hoſtili viſcera chara manu.
Squallebuntque comæ, & cōcretæ ſanguine veſtes:
Vulnera perjuro plurima ab hoſte tulit.
Eſt tamen in vultu gravitas, & vivida virtus;
Illaque vis animi, quæ fuit ante, manet.
Vade age, nataliſque ſaluta rudera terræ:
Vade age, candidior proximus annus erit.

## ELEGIA III.

## *In* QVENDAM MOPSVLVM.

### *Qui adoleſcentiam ſibi objecerat.*

VIdi, qui noſtros in crimine poneret annos,
Quodque juventutis flos mihi primus erat.
Qui, coma quod rigido non ſubſit plurima mento
Culpet, & hoc vitii nomen habere putet.
Dii faciant poſſit tantum illud carpere livor.
Vltima delicti ſumma ſit iſta mei.
Nil mihi præterea, quod dicat crimine dignum,
Invidus objiciat: nec reperire queat.
Scilicet hirſuta ſpecioſus, Mopſule, barba
Nil præter ſetas, quod videatur, habes:



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Cætera ſat ſtupidis. nil tot reperitur in annis,
Quod nequeat barbam dedecuiſſe tuam.
Nos ætas non magna, & tantum prima juventu
Rectà ad Pegaſeas impulit ire Deas.
Eſt aliquid primis laudem conquirere ab annis.
Eſt aliquid plebi non placuiſſe tuæ.
Nec mea non poſſunt ( tamen abſit gloria verb
Quæ numeris ludit prima juventa ſuis;
Carmina judicibus utrunque placere ſub æquis,
Et ſenſim laudem promeruiſſe ſuam.
Sive error, ſeu dulcis ea eſt perſuaſio mentis:
Propitio videor ire per iſta Deo.
Non alios memoro: judex mihi ſufficit unus,
Cui ſi quæ potero noſtra probare, ſat eſt.
Iudicio placeam, nec cætera quæro, VagetI:
Hoc mereant precium carmina teſte ſuum.
Is mihi, cum lepidus noſtro blanditur amori,
Extollit venam, verſiculoſque meos.
Sive id judicium eſt; ſive ut magis exciter, inde e
Egregios ſtimulos, nec leve calcar habet.
Phæbe pater faveas: potero creſcentibus annis
Cum reliquis curſu vatibus ire pari.
Nil mihi vobiſcum eſt quêis vulgi quærere laud
Exiguas tanti eſt: me meus ardor agit.
Ardor, & erectam trahit ad ſublimia mentem:
Obveniat votis ſed mora ne qua meis.
Scilicet hæc rata ſunt: & ſternuit omen Apollo
Signaque præmittunt ex Helicone Deæ.
At tu, qui noſtros attente inquiris in annos:
Cui ſoli potui tardius eſſe ſenex.
Crede mihi, hirſuto ſi qua eſt prudentia mento,
Præcipuus poterit vel tuus eſſe caper.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

## ELEGIA IV.

### *Poëticæ valedicit.*

NIl mihi vobiſcum eſt: ſat luſimus: ite Camęnæ.
 Fabricius veſter non erit: ite Deæ.
Gloria non tanti eſt, aut vani munus honoris:
 Non tanti eſt vulgum poſthabuiſſe ſibi.
Suſtineant alii famam, titulumque poëtæ,
 Et nectant capiti laurea ſerta ſuo.
Me mea fata, Deæ, retrahunt à laudibus iſtis,
 Et pudet in veſtris nomen habere ſacris.
Vulcanum orabo, vel quæ tenet æquora Tethys:
 Excipiat verſus ille vel illa meos.
In cineres abeant teneri, mea carmina, luſus.
 Ardebunt medio rectius illa foco.
Dicite, quid prodeſt veſtras, Muſæ, ire per artes;
 Adjunctos ſtudiis noctibus eſſe dies?
Innocui vates ſi ſunt ludibria vulgi,
 Et nihil his ſacris vilius eſſe poteſt.
Si de plebe aliquis, ſi mundi turpis agyrta,
 Poſſideat tantum plurima, major erit.
Scilicet hanc fæcem decuit præferre poëtis?
 Et ſacri vates non pia turba ſumus?
Vidimus è vulgo ſordentes pluris haberi
 Quoſlibet, & noſtras nil valuiſſe Deas.
Scilicet has Veneres formoſa pecunia ducit.
 Nemo volet vatem quærere, quæret opes.
Aſcræus ſi forte ſenex, quas ante ſolebat,
 Adducat patrias ex Helicone Deas;
Si Zonam attulerit dives, nummoſque, placebit:
 Sin minus; ô alias quære poëta Deas.
Dîi pereat, qui primus opes, & divitis auri
 Pondera divino fecit honore coli:
Virtutem præferre aliis, poſtponere nummis:
 Turpiaque inviſæ ponere templa Deæ.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Is primus molli corrupit ſecula luxu;
Divitias precium juſſit habere ſuum.
Et noſtras fecit ſine vivere laude Camænas.
Ex illo vates ſordida turba ſumus.
Phœbe vale, Clariçque Deæ: nunc deniq; lucrum
Quærimus: à veſtris exulat illud aquis.
Quæque aliquo precio ſe poſſint vendere, diſcam
Venduntur minimo carmina: Phœbe vale.

## ELEGIA V.

### *De natali ſuo, ad amicos abſentes.*

FAbricii natalis adeſt: & abeſtis amici,
Pectora præ nivibus candida Sithoniis.
Nec licet ad poſitum præſentibus eſſe Lyæum:
Nec licet ad partes vina vocare ſuas.
Non fari bona verba, aut carmine ducere noctem
Non mutare ſuis ſeria miſta jocis.
Omnia fata negant: patriis ego ſolus in oris
Annua natali ſacra tuli Genio.
Solus ego, ſocii, noſtrum ſemotus ad Albim
In patrios fudi mollia vina focos.
Vos fatum huc illuc noſtro ſubduxit amori:
Et cogor magna parte carere mei.
Leucoreas ſuavi veneratus carmine Nymphas
Demulcet blando Lundius obſequio;
Non humilis vates. Petræus Norica in urbe
Iurgia clamoſi tractat, & arma fori.
Iungius ad patrium Muſas, ſua numina, Storam
Et ſylvas inter, & colit inter oves.
Heic volvens dulces, antiqua volumina, curas
Colligit æternas, & ſibi ſervat, opes.
At tu Lunacriis pridem vicinus in oris
Maxi, pars animæ non moritura meæ;
Tu nunc Lipſiades, hæc ſunt tua fata, Camænas
Eloquio poteris detinuiſſe tuo.

Audi

Audite, ô ſuperi, meque iſta ſiſtite in urbe;
Et coëant uno corcula bina loco.
Intonuit lævum: quod poſco, convenit omen:
Vertice ſternutat Phœbus ab Aonio.
Et mihi neſcio quid mens non ignara futuri
Speranti tacito ſuggerit indicio.
Interea dilectæ animæ ſalvete ſubinde,
Quo vos cunque volet Phœbus abeſſe loco.
Salvete abſenti: cum fata, Deuſque jubebunt,
Quo nunc mente feror, corpore junctus ero.

## ELEGIA VI.

### *De formoſa quadam Holſata, deformi marito nubente.*

QVis mihi nunc cæcum non affirmabit amorē,
Aut oculos blandi tegmen habere Dei?
Non fuerit quondam: poterit nunc eſſe videri
Talis, & in multa cernere luce nihil
Dicebam: Calle, ſola es formoſa, tuumque
Non dedignetur Iuppiter ipſe torum.
Œnonæ potuit forſan præferre Lacænam
Priamides: poſſet non tamen ille tibi.
Et quam germanæ voluit præponere Theſeus
Debuerat formæ poſthabuiſſe tuæ.
Tu tunc vixiſſes, aut nunc ſuperaret uterque:
Perfidiæ fueras cauſa futura novæ.
Quam timeo, ne non te quiſquam dignus haberi
Poſſit, & hanc formam demeruiſſe ſibi.
Dicebam. Potuit Therſites. numina teſtor,
Nil erat iſtius turpius ore viri.
Aſpera frons: facie nil fœdius: inſpice vultum;
In vultu maculas, ſigna bibentis habet.
Cætera deformis. Tamen hic tuus, optima Calle;
Hic tuus, infelix virgo, maritus erit?



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Hunc ulnis formoſa tuis, nitidiſque lacertis,
Et potes in tepido blanda tenere ſinu?
Iſte tuos oculos, & candida colla prehendit,
Et premit ad roſeas ſordida labra genas?
Iſte (pudor) Calle tua lactea pectora tangit?
O alia fuerant illa premenda manu.
Iamque toro junctus tecum formoſa recumbet?
Quid facis? amplexus inquinat ille tuos.
Adſtitit irato ridens Venus; utque locuta eſt,
Protenus in cœlo nulla procella fuit.
Si turpe eſt deformi, inquit, nupſiſſe marito;
Dedecus hoc primum debuit eſſe meum.
Mulciber Ætnæi fuligine ſordidus antri,
Quo magis eſt fædus, gratior uſque venit.
Si neſcis, dulce eſt, ſi quid maculamur amantes:
Et juvat in multa labe videre genas.
Immundus fuerat, fuerat deformis Vlyſſes:
Penelopæ charus non minus ille ſuæ.
Hujus in amplexu quæ non invita jacebat,
Et ſemper voluit, filia Solis erat.
Quæque annos ſeptem poſſedit blanda Calypſo
Non potuit juſſu non retinere Iovis.
Fæmineum eſt vultus & formæ noſſe decorem:
Sit nævus pulchri multus in ore viri.
Quæque maré monſtrare queant non dedecus eſt
In facie tumidas mille videre notas.
Priamides paſtor ſolitus formoſus haberi,
Sed tamen in reliquo corpore mollis erat.
Crede mihi pulchros fugiunt, dicuntque puellæ:
Fæmina qui vultu eſt, cætera talis erit.
Crede mihi, ex illa magna eſt fiducia fronte,
Et licet à facie non dubitare virum.
Horridus, & minime pulcher Tirynthius heros
Denſatas aluit cruda per ora comas.
His tamen à fæda maculatis cæde ferarum
Mæonis haud timuit baſia ferre genis.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Sæpe aderat crebra cum labe: decentior ibat.
Deformis multo ſanguine: pulcher erat.
Adde, quod obſcura velantur talia nocte:
Nec pudor eſt oculis oppoſuiſſe manum.
Quicquid erit; tanti non ſunt ſine crimine vultus,
Formaque: ſi care venditur illa nimis.

## ELEGIA VII.

### *In nuptias Hermanni Lateri I. C. Holſati.*

VIx ſua poſt varios ſuſpenderat arma tumultus
Cimbrica, non tanto turbine digna premi:
Vix tumidū excuſſit, modo non oppreſſa, Gradivū:
Et rediit ridens in ſua regna Venus.
Cede meis Mavors, dixit Cytheræa, duellis.
Tellus iſta Deos non feret una duos.
Cede age, ſic nunquam noſtros Vulcanus amores
Impediat ſolitis, & mea furta, dolis.
Expetis amplexus? amplectere. baſia? fige.
In gremio eſſe? veni. concubuiſſe? cuba.
Nec numerum quæras, mea lux, mille offero luſus:
Tota ſub imperio terra ſit iſta meo.
Vtque libens facias: ſuccedent prælia bellis.
Cætera conveniunt: ſanguine noſtra carent.
Riſit, &, eſt tanti, dixit Mars, vendere terras.
Et jam ſola ſuo regnat in orbe Venus.
Laſcivuſque novas nunc demum impune ſagittas
Spargit, & exultat reſtituendus Amor.
Et jam non ſolitas agnoſcit Cimbrica flammas.
Qui domibus fuerat, mentibus ignis ineſt.
Et jam multorum quæ viderat ante cruorem:
Multorum lacrimis ora madere videt.
Ille eſt, ex oculis qui depluit humor amantum.
Quis credat? tremulas exprimit ignis aquas.

Et vix

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Et vix illæſos, qui ſint ſine vulnere, cernit:
  Inque animo pene quolibet hæret Amor.
Ardent innumeri. Sed non feliciter omnes.
  Nec ſimile in læſo pectore vulnus alunt.
In lacrymis multi tantum ſuſpiria norunt;
  Quos Venus & dubio turbine ludit Amor.
Hei miſeros! ſi nulla venit medicina dolori:
  Flammaque non ullum tanta levamen habet.
Nec tamen excutiunt, qui primò inſedit, Amorem.
  Si neſcis, ignes non movet ille ſuos.
Et poterit pennas forte amiſiſſe videri:
  Cum primò invaluit, non volat iſte puer.
Te quo jam nuper, doctrinæ candide myſtes,
  Viderat alma Themis vulnus habere novum.
Nec noſtri poterunt, inquit, ſubſiſtere alumni?
  Et puer in populum jus habet ille meum?
Dixit; & ad teneram ridens converſa Dionem:
  Tu quoque, ſi fas eſt, in mea regna veni.
Parce meos tantum crudeliter urere cives.
  Sufficiat telis ſuccubuiſſe tuis.
Sed placidos ignes; incendia mitia præbe:
  Et non ille puer tetricus eſto Deus.
Annuit, atque infuſa Deæ pulcherrima Cypris
  Plurimaque admiſcens oſcula dixit, erit.
Inde tuas creviſſe vides, vir maxime, flammas:
  Sed quas affuſo nectare paſcit Amor.
Augerique novos, & gliſcere ſuaviter ignes,
  Et non inviſo pectus amore premi.
Quem tua nunc virgo teneris complexibus auget
  Accumulatque novis uſque cupidinibus.
Cimbrica juravit: Neptunum teſtor utrumque,
  Non eſt in regno pulchrior ulla meo.
Seu videas vultum: poterit Venus eſſe videri,
  Seu mores: Pallas; vel tua, Phœbe, ſoror.
Hęc iſtam mentem, quam Virtus alma, Themiſ
  Dotibus unanimes excoluere ſuis,

H

Hæc flexit formoſa, & mitia vulnera fecit:
Qualia Leda ſuo fecerat ante Iovi.
Hæc eadem, Latere, tuis incluſa lacertis,
Perſuaſa ad blandum Cypridos obſequium,
Ne prius effugiat jucundi vincula nexus,
Quam fecit vulnus quod tibi, tollat idem.

## ELEGIA VIII.

### *Ad Poëticam redit.*

DIcebam: valeat cum carmine carminis autor,
Aonides Divæ non ego veſter ero.
Sperno leves hederas, puerilia munera vatum.
Area non noſtris illa teretur equis.
Dicebam, & teneros, mea prima pericula, verſus
Auſus eram triſti velle abolere rogo.
Et jam detuleram comburere. riſit Apollo:
Irritaque infuſis omnia fecit aquis.
Obſtupui, ſubitoque mihi meus impetus hæſit,
Nec volui invitis impius eſſe Deis.
Vivant exigui luſus, ſi forte merebunt,
Et ſuperis viſum eſt, qui vetuere mori.
Scilicet in natos ſcelus eſt ſævire parentem;
Quæque abolet fœtum, non pia mater erit.
Nunc quoq; qua fratrē quondam ſæviſſima Colchis,
Quaq; tulit gnatos, eſt ſcelerata manus.
Impia convertit turpe in ſua viſcera ferrum:
Quæ peperit prolem, ſuſtulit illa ſuam.
Dii prohibete nefas: ſoboles mea vivat in annos,
Cauſaque ſit famæ quantulacunque meæ.
Nec, ſi non magno mihi curritur orbita Circo,
Spectabunt noſtras nulla theatra rotas.
Pro modulo mea navis eat. Si magna negata eſt;
Exiguus nobis per vada linter eat.
Tantum opto ſummos leviter guſtare liquores.
Hoc ſatis eſt: alii flumina tota bibant.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

## ELEGIA IX.

### *Somnium*

### *Ad* IOACHIMUM PETRAEUM *Altorphi commorantem.*

SI qua fides tenebris, & habet ſua numina ſomnus
  Eſſe peregrino captus amore potes.
Nec nihil illud erat, quod nuper imagine ſomni
  Vidimus: heic verum ſi reperire licet.
A ſuperis erat ille ſopor. ne credere nolis,
  Ex qua prodierat, cornea porta fuit.
Nox erat, & nullum metuebant ſidera ſolem,
  Noſtraque erant ſolito membra levata toro.
Cum mens interea (nam quo non ſomnia ducunt
  Acta eſt per varios, ceu aliena, locos.
Forte velut rediens, multoſque vagata per orbes
  Viſa eſt à veſtris non procul eſſe jugis.
Norica ſublimi quà ſurgunt mœnia faſtu,
  Magnificæque urbis nobile fulget opus.
Iamque videt veſtri prope diſſita tecta Lycei:
  Parva quidẽ, ſed quæ ſic quoq; numen habent
A Muſis locus ille calet. procul eſte profani.
  Non patet hæc quovis urbs adeunda pede.
Si quis ſenſus ineſt ſomnis, vel ineſſe putatur:
  Heic ego Petræum quærere viſus eram.
Campus Apollineæ ſuberat cultiſſimus urbi:
  In medio rivus lene ſonantis aquæ.
Innocuas laurus paſſim, florumque colores
  Cingebat Paphiæ myrtus amata Deæ.
Heic mihi Petræus primis occurrit in herbis.
  Nec ſolus: lateri juncta puella fuit.
Myrtea ſerta aderant, & candida veſtis utrique.
  Fallor, an hic Veneris dicitur eſſe color.

Ille tamen leviter formoſæ infuſus amicæ
  Ibat,& hærebat totus ab ore Deæ.
Qualis in amplexu dominæ Tirynthius hoſpes
  Lydia per campos dicitur iſſe tuos.
Qualis & ad Xanthum,cum nondũGraia placeret,
  Iuncta ibat Paridi patria nympha ſuo.
Si licet in ſomno: teſtor,Petræ,fuiſti
  Iræ materies,invidiæque mihi.
Acceſſi: nec enim tu reſpondere parabas:
  Porrexi dextram: nec tua juncta fuit.
Vt qui Gorgoneæ modo viderat ora Meduſæ,
  Protenus obriguit,& ſine mente fuit:
Sic tuus in dominæ ſtupuit,ſine voce,labellis
  Vultus inalbeſcens,pallidiorque nive.
Vix ubi Margaridos nomen, dominamque priorẽ,
  Inſtabili quondam federa pacta fide,
Cum primos ignes,& vulnera prima referrem;
  Viſus es offenſo ſigna dediſſe pede.
Cætera ceu ſaxum. tantum non dextra papillas
  Preſſiſſet,fueras hac quoque parte lapis.
Iamque ego dum tanto convitia quæro ſtupori,
  Teque ſubiraſcor dememiniſſe mei:
Ceſſat,& invitis decedit ſomnus ocellis.
  Sed tamen eſt animo pars bona fixa meo.
Et jam non dubito (nec ſemper ſomnia fallunt)
  Quin illa tuleris vulnus in urbe novum.
Quin tua dicatur nunc barbara Margaris illic;
  Et rudis,& verbis ingenioſa parum.
Scilicet ad formam vox addita blandula mulcet,
  Quæque peregrino mollius ore ſonat.
Aſperius loquimur. vox pulchram reddet agreſtẽ:
  Et formæ bona pars intus in ore ſita eſt.
Nec miror, Petræ, placet ſi blandior illic;
  Cui præter faciem vox quoque lena fuit.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

## ELEGIA X.

*Ad Iohannem Adolphum Fabricium ſacerdotem, & poëtam.*

Cum ipſi Album ſuum offerret. αὐτοσχεδ.

MAgne Dei myſtes, (nec enim tua gloria ſola eſt
  Aonias ſancte deperiiſſe Deas: )
Qui ſacra Muſarum pietati jungere monſtras;
  Vtque queant recte numina bina coli.
Si merui quondam (nam tu meruiſſe fateris)
  Amplexum tanti dignus adire viri.
Si fuit in noſtris, aut viſum eſt verſibus eſſe,
  Cui tacita poſſes dicere voce; placet.
Aut potius, ſi dudum in nobis ſuaviter erras,
  Et ſeduxit amor, impoſuitque tibi:
Delector tamen, & mihi de me mentior ipſe.
  Sic nempe in laudes credula turba ſumus.
Nec potero fortaſſe olim non dignus haberi
  Affectuque iſto, judicioque tuo.
Si quondam adjectis augebitur uſus ab annis;
  Et ſumet robur ſpiritus iſte ſuum.
Qui nunc in primis infans attollitur herbis,
  Et ſerpit teneras parvulus inter aquas.
Heic ſummos latices leviter guſtare laborat,
  Et bibit ad ripam, vix tamen inde bibit.
At cum firmato procedet robore adultus,
  Sperat judicio non minor ire tuo:
Et quem nunc obiter libat, tunc plenius amnem
  Guſtare, ac totis ora rigare vadis.
Tu tantum plauſu, calidiſque laceſſere votis
  Et venam, & Muſas perge, poëta, meas.
Sic ſi quid famæ mea tandem forte merebunt
  Carmina, ſi tanto nomine dignus ero:
Fabricius, dicam, non ultima gloria vatum
  Fabricio magnum ad talia calcar erat.

Interea teſtis, ſi forte merebor, amoris
Adſit in hoc libro conſpicienda manus.
In qua Fabricius, quoties hæc conſpicit abſens,
Fabricium poſſit ſæpe videre ſuum.
Et quoties videt, hæc tacita ſuperaddere voce:
O maneam tanti dignus amore viri.

## ELEGIA XI.

### *De natali ſuo*

### *Ad* DAVIDEM CRAMERUM.

ECce meus Batavos viſit, patriaque relicta
Ad ſua natalis tempora lætus adeſt.
Scilicet à noſtro properans feliciter Albi,
Rhene pater ripis gaudet adeſſe tuis.
Et petit à domino conſueti moris honorem:
Invitatque manus ad ſua ſacra meas.
Accedas, Cramere; dies tibi dicitur iſte.
Fabricius Genio vina, tibique parat.
Vina ſuo Genio, genitale notantia tempus:
Et, nova quæ pariant gaudia, vina tibi.
Scilicet hac ex luce fluentes ordinat annos,
Qua lepidum poſuit optima mater onus.
Qua mihi veridicæ, quas omnia fata ſequuntur,
Neverunt vitæ ſtamina prima Deæ.
Si qua fides, natum tremulis excepit in ulnis
Atropos, æternis de tribus una ſoror.
Et leviter digitis deducens vellera dixit:
(Audierat, retulit quæ mihi dicta parens.)
Tu quoque, blande puer, non inficiande Camœnis,
Fæcunda Aoniis ora rigabis aquis.
Si cupidum à vulgo generoſus ſubtrahet ardor,
Et tanget laudis pectora pulcher amor.
Vive modo, dilecte puer, gratiſſime Muſis:
Et patriæ quædam gloria creſce tuæ.

Dixerat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Dixerat. adſenſere Deæ : perque aëra latum,
Quæ plaga dextra fuit, tota ſerena fuit.
Atque ea ſive negavit iniquus, ſive benignus
Iuppiter eventum juſſit habere ſuum,
Securus, Cramere, age ter tria pocula amici
Soſpitis, atque iterùm ter tria ſume tui.
Scilicet ite Deæ, lepidum genus, ite Camænæ ;
Et tu formoſis Phœbe ſuperbe comis :
Ite agite ad tempus. cras vos revocabimus omnes,
Iſte dies nobis feſtus agendus erit.
Huc cyathos, Cramere ; & mollia vina corona.
Propoſuit ſiccis omnia dura Deus.
Non aliter fugiunt curæ, triſteſque labores :
Vt fugiant curæ, fortius adde merum.
Et bene me, bene te non unis adjice votis.
Cætera vicino trade ferenda mari.
Et neque, cur pereat bellis Germania, quære ;
Quiſve armet reges inde, vel inde furor.
Et neque quid Sueci, quid magni Cæſaris arma
In clades tumidi Martis amore ferat.
Diſponent ſuperi. nihil eſt, quod quærimus iſta,
Quæ tegit obducta condita nube Deus.
Fata viam invenient. Vina huc, Cramere, roſaſque.
Nec tibi, nec ſobrio nunc licet eſſe mihi.
Dicamus bona verba: procul, procul horrida bella.
Ter tibi fit Briareu : ter tibi ſancte Geni.
Ter Charitum trigæ : toties tibi candide Phœbe.
Bis toties Muſis : bis toties Veneri.
Si qua animum, Cramere, tuum formoſula flexit,
Huic tacite cyathos, ſi placet, adde duos.
Vivamus, dum fata ſinunt ; dum non perit ætas.
Quis ſcit, an hæc iterum ſit reditura dies.
Interea, Cramere, optes, ut ſemper amico
Candidior redeat, candidiorque tibi.

*Die 28 Auguſt. Anno 1631 qui natalis meus decimus nonus.*

VINI

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

VINCENTIUS FABRICIUS

# PETRO RENTZELIO

## Suo.

*FRontem meam vide, qui verſiculos tibi donare audeo :* id eſt, *homini ſerio, maximas ineptias. Noſti nuper me Amſtelredami fuiſſe. in itinere exciderunt hæc, quæ vides, mortualia. Cum enim venti ceſſarent : & altero tanto majus infortunium, moleſti comites pene enecarent neſcio quibus fabulis; (noſti autem moroſitatem meam. ita enim appellare multis placet, quod ego ad honeſti ingenuique faſtidii vocabulum transfero: ) ne omnino otiarer ; nihil agere volui : aut certe aliud : quo pleriſque omnia tempora elabuntur. In navi itaque, ut dixi, & concepti, & nati, & ſublati ſunt hi verſus. quo minus mirabere ſi ſentinam redolent, & ego ei caſu adſedi proximus. Cæterum, uti primo lucem adſpexerunt, id eſt, à matre adhuc rubentes, ad te ire juſſi : aut portari potius. ne tu mihi, infantium more vacillantes verſiculos incedere non poſſe, arguteris. Ne crepundiis quidem poſt id tempus exornare volui. Durus enim pater ſum. In ſpurios maximè.*

Οὐγῶ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Οὐ γὰρ ὃ μὴ καλὸν, οὔποτ᾽ ἔφυ καλὸν,
Οὐ δ᾽ οἱ μὴ νόμιμοι παῖδες,
Ματρεῖ λόχευμα, μίασμα Πατρός.

*Ait alicubi* Euripides. *Sed fidem jam feci, u arbitror, migari me : immo, ſi velim, inſanir etiam poſſe Vale. Lugd. Bat. ex Muſæo meo 15 Maij, Anno* 1632.

## ELEGIA XII.

### *Ad Æolum.*

Cum in lacu Harlemenſi, propter ventorum tranquillitatem, diutius detineretur.

Æole, cui faciles Zephyri, cui turbidus Auſter,
Et Notus immanes excubat ante fores;
Ventorumque cohors. miſeris ſolatia nautis,
Atque eadem miſeris quæ mala multa tulit.
Quid tantũ de te merui male? quæ mea culpa eſt
Cur miſer in lento torpidus erro mari?
An meruere tui conſtringi carcere venti?
At nautæ, & comites non meruere tamen.
Qui licet admiſſo nunc ſolvant crimine pænas:
Non tamẽ, alme pater, hæc quoq; culpa mea eſt
Quin aliàs punire tuos potes, optime, ventos,
Et dare circum illos horrida vincla pedes.
Quin aliàs pendet meritas tibi navita pænas,
Et fruſtra flatus quæret habere tuos.
Nunc mihi, ſi fas eſt homini concedere Divum,
Iras condones, ſeu furor iſte, tuas.
Forte Ithacus ſpiſſis concluſit in utribus omnes
Dum teneram Circen improbus ille tenet:
Vel gremio infuſæ remorantur verba Calypsûs:
Et non Penelopen nunc amat ille ſuam.

Scilicet oblitus patriæ, natique, domuſque,
Et quam non lætis noctibus uxor agat,
Æole, non invitus oberrat in æquore, & optat
Aſſiduas iſto ſæpe in amore moras.
Quin mihi nunc iſtum pro tempore da, pater, utrē.
Vtitur officio non tamen ille tuo.
Hei mihi ſubſiſtit; hei ſedibus hæret eiſdem
Navita, nec portum feſſa carina ſubit.
Æole, compello. qui ſi nunc tardius audis,
Averſaque meas reſpuis aure preces;
Non impune feres: pænas, irate, repoſcam.
Et mihi ſunt vires: & mea vota valent.
Et mihi, ſi neſcis, Iuno favet; hæc mea Diva eſt;
Huic niveas agnas, annua ſacra, fero.
Illa tibi gracilem non junget Deïopeam;
Vnquam ſi precibus ceſſit amica meis.
Nequicquam Æneæ fracta eſt, diſiectaque claſſis:
Si miſero meriti gratia tanta perit.
Illi ipſi, quibus is periit, quos nunc peto, venti
Et ſpes felices, & tua vota ferent.
Fallor, an adſurgunt tenui maris æquora flatu,
Auraque languentes implet amica ſinus.
Iamque magis crebris nigreſcunt omnia ventis,
Vndaque fert celerem, quo juvat ire, ratem.
Sunt ſuperi, comites, nec ſemper numina ceſſant,
Inveniuntque ſuum vota, minæque locum.
Nunc etiā Harlemi ſpacioſam abſcondimus Ædē;
Et video portus Amſtelodama tuos.

*Ex temp. inter ſtrepitus nautarum, & vectorum tinnitus.*

MIS-

# MISCELLANEORVM
## LIBER.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

*Præſtantiſſimo, Doctiſſimo, Humaniſſimoque Viro,*

# OANNI VICKEVORTIO,

## Civi Amſtelredamenſi

*Eximio,*

VINCENTIUS FABRICIUS

S. P. D.

C*Vm infinita ſint in Vrbe veſtra, præſtantiſſime Vickevorti, quæ mi-*
*ari ego ſoleam: tum vel illud maxime ſtu-*
*endum mihi videtur, quod & eruditi ple-*
*ique eſtis cives: & magno affectu diligitis*
*c amplectimini eos, qui effuſiſſimo ſtudio*
*mnem doctrinam conſectantur. Vidi, &,*
*a me Deus amet, vix oculis meis credidi*
*e videre ſubſellia Scholæ veſtræ plena ne-*
*otiatorum: vidi pendere ab ore celeber-*
*imorum hominum viros mercatores. &*
*ui paulò ante in foro res ſuas tranſege-*
*ant: naves mercibus diſtentas in omnes*
*rbis partes dimiſerant: pecunias loca-*
*erant, aut receperant: ad pulcherri-*

*mum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

*mum illud Lyceum delatos, quaſi omnium rerum oblitos, utiliſsima ſapientiæ monita convaſaſſe; eaque nullis aut curribus aut cymbis impoſita, ſed ipſo pectore penitus recepta, denuo retuliſſe in forum. Sed profecto admirationem omnem excedit, quod in domo tua ipſi vidimus. In quam cum non ſemel benigne à te invitatus, ac totos dies liberaliſsime habitus ſim: obſtupui ſæpius, cum te tot circumfuſum mercibus, tot negotiis obrutum; Senecis tamē, Tacitis, pluribuſque aliis utiliſsimis ſcriptoribus, quibus ſelectiſsima tua Bibliotheca diſtēditur circumvallatum deprehendi. Quod ut eſ animi generoſi, ulteriuſque ſe provehentis quam ut vota ſua anguſtis deſideriis inclu di ſinat: ita hoc tibi præſtat, quod, cu ceteris qui ea adſpernantur, alia omni adſint, præter humanitatem; tu, q & hanc, & reliquas virtutes bonis art bus conſecutus es: nulla tamen alia in ab illis ſupereris, quam tot pulcherrim rum rerum ignorantia. Et enimvero, qu aliud fuit momentum, cur omnes cau*

*me o*

*me obligandi avidiſsime amplectereris; niſi quod perſuaſeras tibi, ineſſe quædam elementa doctrinæ ac ingenii in hoc homine, quæ tantum favorem mererentur. Hinc præcipue illud eſt, ne alia nunc memorem, quod Clariſ. viris, Voſsio ac Barlæo dudum ſerio commendandum me cenſuiſti. qui quod tam prolixe mihi faveant, non eam potius cauſam eſſe arbitror, quaſi id ego mereri ullo modo poſsim: quam ne unquam deſideriis tuis defuiſſe videantur. Niſi quod fieri poſsit, ut non abſurde in eum favorem ſuum conferri credant, pro quo vir talis tantuſque fidejuſsit. Tot documentis cum mihi candor tuus comprobatus ſit; non invitus, ut arbitror, hoc tempore ſylvulam hanc Poëmatum meorum inſcribi tibi patieris. quæ hercules præter ætatis, qua ſcripta ſunt, patrocinium, ingenii mei tenuitas excuſare tibi poſſet: niſi inſignis tua benignitas, quæ ad ſummam benevolentiam pervenit, omnem hanc excuſandi neceſsitatem jamdudum mihi exemiſſet. Interea tu, dum immorta-*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

*litatem tibi ſpondent illi,quos dixi,viri c leberrimi; in his noſtris , qualiacunq tandem ſunt , affectum meum , quand quidem nihil aliud potes, amplectere.*

VI

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

# VINCENTII FABRICI MISCELLANEORUM LIBER.

*In quibus pleraque, quæ admodum adoleſcens ſcripſit.*

## *Ad* PETRVM CVNÆUM. I C.

*Paulo poſt, quam Lugdunum Batavorum veniſſet.*

DVm mea civiles exercet cominus iras,
Æternis diſiuncta odiis,teriturq; , teritq;
Conſumitque ſuas in ſe Germania vires:
Hæc placeat,Cunæe,quies,quæ candida veſtris
Donatur populis,& blanda in pace Camænas
Læta fovet,placidæque lubentes imputat urbi,
Horribili procul à bello.Dum fortiter hoſtes
Auriaci virtus patriis à finibus arcet,
Et latè inviſum victrix ſecernit Iberum.
Heic liceat ſecura mihi dare tempora Muſis,
Innocuiſque ſacris: &,quas ego ſemper amavi,
Gambrivios procul,& noſtrum ſemotus ad Albim,
Heinſiadæque,tuaſque ſtupere,& cernere laudes.
Illuſtres animæ:quas multum cognita virtus,
Famaque virtutis tantæ pulcherrima merces
Iunxit,& ad ſummum provexit plurima culmen
Invidiam ſupra elatas : veſtris ego,veſtris
Laudibus excitus,& tantæ numine famæ,
Quam dudum imméſo late increbreſcere mundo
Attonitus ſpecto,Belgarum in finibus adſum,
Virtutum cultor tantarum. Heic terminus eſto,

Et votis ſua meta meis. Heic non ego ſortem
Depoſco mihi, Crœſe, tuã: non quicquid & Indus,
Et jactat deformis Arabs: quodq; imputat aurum
Hermus avaritiæ, vel Lydius egerit amnis;
Et quæ præterea populus miratur, & optat.
Hoc mihi ſufficiat, quod vos ego, nomina tanta,
Expoſitos, facileſque coli, non turpiter audax,
Et nec adulator fædus; ſed caſtus amator
Muſarum, Phœbique, & pulchri cultor honeſti,
Cominus admiror; meruique admiſſus amari.

## *Ad Ieſum Crucifixum.*

QVem video? tene, ô Ieſu, regẽ optimũ Olympi,
Seminecem, lacerumq;, oculoſq; in morte natantes:
Os fluido triſte, & fædatũ ſanguine: aperta
Pectora: trajectas ſceleratâ cuſpide coſtas:
Concretamq; comam, & turpatã ſanguine barbã:
Ipſum te trabe pendentem infanda, & jactantem
Spinis fædum utroq; caput, (miſerabile viſu:)
Frontemque, ſciſſaſque genas: de vertice ſacro
Stillantes atro permiſtas ſanguine guttas,
Fixaque funeſto, diſtractaque brachia ligno
Hinc atq; hinc: tremulũ corpus: palmaſq; pedeſq;
Turpi confoſſos, inhoneſto vulnere, clavo.
Horreſco aſpiciens. Quæ te, rex inclyte rerum,
Impulit huc? vultus quæ cauſa indigna ſerenos,
Brachiaque, laceraſque genas fædavit, & ora?
Aut cur has fracto plagas in corpore cerno?
Impune hæc ſcelerata cohors, rex ætheris alti?
Impune hæc? genitorque oculis iſta aſpicis æquis?
Conſiſtitque hæc mundi machina? nec ruit æther?
Nec moles hæc frãgitur? heu nec fulmina torques?
An fremis incaſſum iratus, teque ætheris alti
Nequicquam cæcos jaculantem è nubibus ignes
Horremus fruſtra? Lacerũ infandà in trabe natum
Sanguine ſingultantem, extentum corpore toto

Con-

Conſpicis,& tamē iſta vides placido omnia vultu.
O vigila tandem,ô genitor,propiuſque tuere
Vulnera dilectæ ſobolis,lacrymabile corpus,
Dejectosque oculos,ipſum jam jam expirantem.
O vigila,furiiſque pater conſurgito juſtis,
Quod ſupereſt: rutiloq; hāc turbā fulmine ad um-
Horrendas umbras,& lurida tartara mitte. (bras,
Me miſerum,ipſe mihi ſcelerum depoſcere pœnas
Suſtineo,in caput ipſe meum peto tela Tonantis.
Ipſe ego(nec tantum turba aſpera Iudæorum
Polluit infanda ſolam ſe cæde,nec auſa,
Nec potuit:) ſed nos,vetitos quos carpere fructus,
Atque interdicta funeſtum ex arbore pomum
Non puduit,quos non lex,non Deus ipſe repreſſit;
Nos te illis oneramus,& impia vulnera ſacro
Addidimus lateri,& funeſtam intorſimus haſtam,
Quæq; hærent ſacro ſceleratæ in vertice ſpinæ,
Nos,nos infandum ſumus auſi texere ſertum.
O Ieſu, nimis humanos miſerate labores,
Ten' deſcendiſſe in terras,tene æthere ab alto
Nate Deo ?& noſtrum voluiſſe inducere corpus,
Vt lueres peccata hominum Deus,ut trabe pendēs
Sacrilega omne tuo deleres ſanguine crimen ?
O mihi nunc optem ſolidas in carmina vires,
Plectraque Ieſſæi cupiam ſublimia vatis:
Sic mea perpetuos geminarent carmina plauſus,
Optime rex,canerentque tuos,invicte,triumphos:
Regnum atrox; Erebiq; ducem; Stygiaſq; paludes,
Et debellatam te ſolo milite Mortem.
Nunc tenues cohibent vires, parvæque Camænæ,
Mutaque vel nullo titubat mea lingüa cantu,
Horridaque,& rauca eſt,& tantis laudibus impar.
Aſt olim,cum me ſtellantis regia Olympi
Accipiet; cum tu,victor ter maxime Ieſu,
Eripies omnē,quæ nunc mihi mentē,animumque,
Humanoſque hebetat ſenſus,obducta parentum,

Tracta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Tractaq; de labe, ac omnes mihi fuſa per artus,
Denſatam nubem, & dia me luce beabis;
Divinum carmen lætus, non ultimus inter
Heroas, vateſque tuos modulamine dulci,
Cæleſti evinctus cantabo tempora lauru.
Et tamen interea, quicquid mea carmina poſſunt
Te referam, laudeſque tuas, quæcunque futura eſt
Vis animi, quæcunque olim, tibi ſerviet uni.

## *Ad* BRODERUM PAULI IC. Holſat.
### *In patriam poſt decennium, Anno* 1629 *revertentem.*
### Holſatia loquitur.

ECquid opis ſpes ulla? an cælo tendere victas
Has palmas, vocemque licet; Divoſque vocare
In vota, & ſanctam demum ſperare ſalutem?
Ecquid inexpleto poſita eſt ſua meta labori?
Muneraque, frondeſque aris, templiſque Deorum
Semirutis, meritoſque licebit reddere honores!
Hem licet. Aſpiciunt Dii tot jam caſibus actam,
Optatæque oſtendit iter fortuna ſalutis,
Et feſſis finem rebus tulit. Omnium egenam,
Omnibus exhauſtam jam caſibus, aurea demum
Pax, cũ pace quies, (Dii quot bona!) Iuppiter ipſe
Reſpiciet; cladeſque, & funera plurima paſſam
Eriget, & placidos tandem æquior afferet annos.
Tot tantiſque opibus, te, ſpes Brodere tuorum,
Spes mea, lauſq;, decuſq;, & tantarum ærumnarum
Auxilium, quem fata meos ſæviſſima caſus
Aſpicere, & tantas præſentem flere ruinas
Non voluere, addunt; & poſt tot nubila ſalvum,
Poſt clades, cædeſque, & funera multa tuorum
Reſtituunt. Salve ô multum, chariſſime, ſalve.
Vt te poſt tantos hominumque, meoſque labores
Defeſſam aſpicio? ut laſſata hæc brachia collo
Circum

Circumcingo lubens, atque oſcula dulcia figo?
Me miſerã, quemnam incuſabo hominumq;, Deo-
Infelix? quidnã in Divos committere tantũ, (rumq;
Quid potui? ut tali videar tibi ſquallida cultu:
Quamque reliquiſti forma, tantiſque beatam
Divitiis, ſedeam deformis, & obſita cœno,
Abſurdas diſciſſa genas, multiſque ſepulta
Sordibus, & denſis vix demum emerſa tenebris.
Fata tamen finem invenient, decuſſa redibit
Frontis mundities, & vultus ſplendidi honores:
Quaſque vides moles vaſtas, avulſaque ſaxis
Saxa, ſuum tandem accipient ſurgentia cultum.
Ipſa ego, quæ vitam in duris afflicta tenebris,
Multa gemens, cædes, atque inter funera traxi
Hactenus, implevique meas plangoribus urbes,
Gaudeo; ſuſpicienſque decoræ frontis honores,
Et dotes mirata tuas, vix funera poſſum,
Vix clades meminiſſe meas. Quin pontus uterque,
Quin nemora exultant noſtra undiq;, & undique
Fluminaq; plauditq; ſuis nõ magnus in undis (cãpi,
Hevera, nec dubiis prodit ſua gaudia ſignis.
Qui licet exiguo cogatur parvulus alveo
Obſcurus; toto per te celebrabitur orbe:
Tu nomen famamque dabis: nec ſpumifer Albis
Major erit rapido nec qui fluit agmine Rhenus.
Eia age Cimbrorum decus, ô Brodere, tuorum
Optatis ſuccede penatibus, & patriis Diis.

## *Ad Fredericum Lindebrogium. I C.*

SI placet audendi, Vir maxime, nobilis ardor,
Cum ſeſe excedit, faſtiditque ignea vulgum
Mens animi, ſtimuloſque ſibi ferventior addit,
Pulchræ laudis amore calens; imitataque cælum
Inclyta conari quiddam excellentius ardet:
Sic facilis, mitiſque mihi. Sublimior ibo,
Si laudis mihi pandis iter, tacitoque favore



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Erigis,& capiti,quæ nunc eſt,detrahis umbram.
Scilicet eſt aliquid ſtolidum contemnere vulgus,
Et multum placuiſſe tibi : te judice tanto
Privatam ſperare olim decerpere laurum.
Eſt aliquid ducibus vobis, ô lumina mundi,
Vulgari non ire via ; non quærere plauſum
Attonitæ plebis : non ſe dare fluctibus illis,
Quos ſi quis tentat,in ſaxis naufragus hæret :
Non mendicatas jactare aut vendere nugas
Doctrinæ ſtolidæ,linguæque volubilis artes.
Te duce,Lindbrogi,quem virtus,famaque tanta
Extulit ad cælum,& poſt funera vivere juſſit :
Te duce fucatas diſcam contemnere laudes,
Et ſenſim majora ſequi : quo me impetus acer,
Et formoſæ laudis aget pulcherrimus ardor,
Seductum à vulgo. Seu me Romana vetuſtas
Abripiet ſacriſque ſuis immittere mentem
Attonitam,vetereſque Vrbis recludere ritus
O ſemper veneranda, volet : Seu Græcia campis
Immittet ſpacioſa ſuis,capietque volentem
Porticus, & magnæ quicquid tenuiſtis Athenæ :
Seu divina Themis centum me involvere chartis,
Et ſua jura docere volet. Tu maxime tantum
Lindbrogi faveas,tacitoque laceſſere plauſu
Ingenium, quodcunq; mihi eſt,calidamq; juventã
Digneris,præeaſque tuis ad talia votis.

## Epithalamium

### *In Nuptias Broderi Pauli. I C.*

PAuliades ardet. tenerorum mater Amorum
In plauſus laſciva ſuos,ſua ſpicula jactat,
Et ſua jactat Amor. Voluit ſecurus amicæ
Ad viduos habitare focos ; ſua numina,Muſas,
Et Themidem caſtos cælebs colere ante penates
Broderus : voluit non ulli obnoxius igni
Declinare jugum,jucundæ munia flammæ,

Et

Et caſſes Citheræa tuos. Ter ſpicula promſit;
Ter ſua tela tetendit Amor: ter magnus Apollo
Dilapſa in tenues incaſſum ſpicula ventos
Deflexit bonus, & nequicquam currere juſſit,
Illæſus Venerem, & puerilia numina Amores
Riſit Pauliades. nec enim ſuccumbere flammis
Talibus, aut ullis conſueverat ignibus uri
Liber, & intactos jactans, pia federa, ſenſus.
Miſnica formoſis tellus celebrata puellis,
Miſnica, quo transferre ſuam Citheræa Citheram
Dicitur, & proprias illic Dea figere ſedes,
Idalium adſpernata nemus, non flectere mentem,
Succenſam aut tenui potuit dimittere flamma.
Ille abiit magnas Italorum illæſus ad urbes,
Et Venetas luſtravit opes, ſurgentia ponto
Mœnia, quæ fluctus, quæ ſuppreſſiſſe Tridentem
Æquorei potuere Dei, dare libera toto
Iura mari, & celebri regnare per æquora faſtu.
Nec Venus undoſis quæ creditur edita ſpumis,
(Vnde ſuum Venetos nomen jactare, genuſque
Ipſe Amor in tacitam nuper mihi dixerat aurē.)
Inviſos potuit illic obtrudere caſſes
Indignanti animo. mens nullo vulnere cæca,
Aſpernata Deam, & cornu, tua tela, Cupido;
Intacta Auſonios luſtravit ſedula fines:
Eridano appoſitas moles: vel quæ ſua jactat
Lumina Parthenope: vel quæ celebrata Marone
Aut ſpolium fuerit Gallis, aut denique Iberis
Mantua, nunc duplici non felix preſſa ſub hoſte;
Quæq; ſuas patitur clades, nec, ut optima quondā,
Plorat, vicinam nimis indignata Cremonam.
Inde alias urbes, vel quæ Verona Catullo
Ante ſtetit celebris, ſed nunc clariſſima jactat
Scaligeram gentem, tangentia nomina cælum:
Vel quæ ſublimes Florentia ſurgit in arces:
Vnde nec Hippolytus nullo violabilis arcu,

Quique puellarum Narciſſus ſprevit amores
Illæſum referant pectus. Securus abire
Pauliades, tutos potuit ſine vulnere ſenſus
At patrios retuliſſe focos. & maxima Roma,
Heic ubi diverſos quondam invenere calores
Egregii vates; ubi Lesbia flava Catullum
Vſſerat, & periit per fictam Naſo Corinnam:
Heic ubi Callimachũ ſua Cynthia flexerat Vmbrũ:
Arſeruntque alii, quorum nunc addita Olympo
Nomina manſuris extollit laudibus orbis,
Invictum nulla potuit ſuccendere flamma.
Cæleſtes formas, atque æmula lumina ſolis
Viderat immotus. quis crederet? Et tamen illum
Intactum accepit Germania. jamque Camænæ,
Et Themis egregiis dederant ſua præmia curis.
Cum vel fata Deûm, vel felix juſſerat ardor
Viſere Gambrivios. iterum ſua ſpicula Amores,
Atque iterum celeres irati acuere ſagittas.
Iamque minus duræ, quamvis ſine vulnere, menti
Langiadis placuere illi, duo ſidera, ocelli:
Qui vel longævos accendere Neſtoris annos;
Qui vel decrepito juvenilem reddere florem
Poſſent Criteïdi: tum lactea colla, rubentes
Sub candore genæ; formoſum quale ſuperbit
Sanguine cum violatur ebur, vel lilia miſtis
Si fuerint confuſa roſis; qualiſque videtur
Injecta auratæ nix candida fulgere lanci.
Attonitus tacitos paulatim pallidus ignes
Haurit Broderus: mox totas gliſcere flammas
Et ſenſim creviſſe videt. Quis pugnet Amori?
Innocua in plures jam mens dilapſa calores
Non ſibi tota ſua eſt. admittitur alma Dione,
Nunc domiti regina animi. ſub pectore vulnus
Vivit, & ardentes paulatim ſuſcitat ignes.
O nimium non dura Venus! vix ſenſit amorem;
Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Et jam quæ reſtinguat adeſt: dilecta puella
Langias, incenſi quæ primus pectoris ardor,
Prima obfirmatos flexit pulcherrima ſenſus;
Et ſimili nunc flamma ardens ſolatur amantem,
Et jam Pauliadæ formoſa amplexibus hæret.
Felix, cui tales Citheræa indulſit amores;
Cui ſua flamma favet; qui pinguia fata beatus
Poſſidet, & placidam nutrit ſub pectore curam:
Qui non fallaci Cydippen ludere pomo,
Nec tumido infelix, nudum ſe credere ponto
Cogitur, optatam vel trans mare quærere amicã.
Vos, quibus ardores felicius imputat aſtrum,
Ardete unanimæ mentes, augete calores,
Quoſque Venus caſte cupientibus injicit ignes,
Ardete, & puero, qui vos conjunxit amantes,
Alternis flammis, & multa prole litate.

## *Ad* HENRICUM VAGETIUM, *ut ſcripta ſua edat.*

Græca ſunt ἡμιστίχια Homerica.

*Vageti doctiſſime,* ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ,
*Quẽ lætor noſtrũ eſſe,* καὶ αἵματος ἡμετέροιο,
*Quo tandẽ uſq; premis* περιτελλομένων ἐνιαυ-
*Divitis ingenii tibi quæ* κειμήλια κεῖται (τῶν
*Plurima, & inviſa quæ* κληῖσαι κληῗδι
*Te ſcio, nec dubito,* καὶ ἐπὶ μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι.
*Ne nobis dilecte,* καὶ ἐσσομένοισι βροτοῖσι
*Occulta invidia fætus,* ἀτὰρ οὐ κατὰ κόσμον, (χρὴ
*Subtrahe quæſo tuos. Sat ceſſas:* νῦν σε μάλα
*Vel tandem prodire:* ἤτ' αὖ πολὺ κέρδιον εἴη.
*Donec firma ætas tibi,* καὶ μένος ἔμπεδον ἐστιν.
*Vita fugit, cunctique* μινυνθάδιοι τελέθουσιν.

*Si mo-*

*Si moriare, & μοῖραν ἀναπλήσῃς βιότοιο;*
*(Quæ tamen, ô dilecte, Θεοὶ μεταμώλια θεῖεν,*
*Et longũ tibi magnus ὑπέρσχοι χεῖρα Κρονίων,*
*Vt poſſis ſero θανατὸν καὶ πότμον ἐπισπεῖν:)*
*Sed ſi forte ita ſit: Θεόθεν δ' οὐκ ἔστ' ἀλέασθαι.*
*Fraudabiſne & nos, & qui μετόπισθεν ἔσονται*
*Egregio fructu (μὴ τοῦτο Θεὸς τελέτειεν)*
*Facundi ingenii; τόδε νέκταρος ἐστὶν ἀποῤῥώξ.*
*Anne vides, quæ barda orbis fæx ἧκε φόως τε*
*Illepida, atque inſulſa, γελαστά, καὶ οὐκ ἐπιεικτά:*
*Et tam multa, ὅσα φύλλα καὶ ἄνθεα γίνεται ὥρῃ:*
*Nec tantũ navis ἑκατόνζυγος ἄχθος ἄροιτο.*
*Quæ tamen intereunt ἅμα δ' ἠελίῳ καταδύντι.*
*Quin tu confidens inſurgito, μηδέ τ' ἐρώει:*
*Et vive in ſcriptis, quorũ κλέος οὔποτ' ὀλεῖται,*
*Scriptis: queis nullus τοι ἐρίσσεται ἐνθάδε γ' ἀνήρ.*

## *Ad* HIERONYMUM VOGLERUM.
### *Conſ. Hamb.*

SI vacat ad parvas animum ſubmittere curas
Magne pater patriæ: ſi mens, mens æmula cœli,
Nata ſupra vulgum faſtigia quærere Divûm,
Tantum habet à ſtudiis, patriæque laboribus otî;
Huc vultus, oculoſque illos, & tempora circum
Splendida formoſis nivibus, ſi forte meretur,
Ad civem deflecte tuum: placidasque ſecures,
O nulli inviſas, quas nemo protenus odit,
Et mea conſpicuos demitte ad carmina faſces.
Tandem etiam, lux Gambrivii, decus addite Divis,
Tandẽ etiã applaudens, quantũ mea carmina poſ-
ſunt,

In

In laudes adſurgo tuas; & fervidus inter
Erigor ardentes cives, non degener olim
Incola, nec patriæ (faveat fortuna) pigendus:
Erigor, & tantæ virtutis nobile culmen,
Divinam mentem, quæ nunc de ſede curuli
Proſpicit, & placido diſponit ſingula nutu,
Admiror; tacituſque precor: in ſecula vivas
Magne ſenex, tardeque tuos pia numina canos
Invideant patriæ: tum vox ea vivat in annos
Æmula Neſtorei mellis, qua ſcilicet omnes
Affectus populi, poſſeſſaque pectora flectis,
Vel Laërtiades, vel noſtræ Tullius urbis:
Quam veneratur, amatq;, & multa laude ſenatus
Excipit, egregias cui reddit curia voces,
Præſidio generoſa tuo, laudataque in omni,
Quantum fama poteſt laudare, & nobilis orbe.
Scilicet invicto quod ſurgit patria faſtu
Hactenus, & tantas oſtentat ſplendida moles,
Immenſaſque minas murorum; æquataq; cælo
Quod ſeſe excedit, ſpatiiſque ingentibus ambit
Contractas quondam metas, quod fervida creſcit,
Dimidia parte aucta ſui, profertque ſubinde
Aggeribus fines, & mœnia mœnibus addit:
Id pater, id debere tibi, & virtutibus iſtis,
Invictoque animo, qui, cum feliciter urget
Ardua, ab egregiis emergit fortior auſis,
Vna voce patres patriæ, civeſque fatentur.
Quos inter membrumque urbis, vel portio noſtrę,
Et populi pars una tui, canos pater illos
Rite colens, reliquis multus plaudentibus adſto:
Et voces conjungo meas cum vocibus iſtis.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

## *Ad* DANIELEM HEINSIUM.

*Cum primò Lugdunum Batavorum veniſſet.*

PHœbe pater, Muſæq; & quicquid magna Deor
Lugdunum veneratur, habetq; in ſedibus illis,
O multum ſalvete mihi: ſi numina fas eſt
Mortali ſalvere, & ſi ſalvere Deorum eſt.
Quærimus hoſpitium. date in iſta ſede mora
Dii Batavi, & veſtris merear ſuccedere tectis
Advena, propitiaſque mihi, multumque faventes
Experiar caſtas, tua numina, Leida, Camænas.
Scilicet eſt tanti patriamque, meoſque penates
Deſerere, Arctoumque Albim, qui mille per urbes
Et populos noſtra deductus origine volvit
Vim flavam undarum: ſceptrique ſuperbior hære
Famoſis pariter Rheno ſuccedit, & Iſtro.
Eſt tanti turreſque tuas, æquataque cælo
Mænia, ſurgenteſque minas, & ad æthera ductas,
Inclyta Gambrivium, tantaſque relinquere moles
Mutatas meliore loco: dum veſtra ſtupere
Lumina, facundique licet ſacra ora tueri
Heinſiadæ, ô Batavi, & voces haurire diſertas.
Heinſius eſt tanti, propter quem ſaxa Cyclopum,
Et Scyllæ rabiem, formidatamque Charybdin,
Et cæcas auſim Sirenum accedere rupes
Impavidus; peragremq; tuo, miſerande Prometheu
Supplicio infames ſcopulos; vel quæ loca Tigris
Impiger, & pluſquam famoſus carmine Hydaſpes
Immenſis lambit inculta, & dividit undis.
O quis erit, qui me centum felicibus alis
Subvectum, plebemque iſtam poſt terga videntem
Aonio ſiſtat monti, caſtiſque fluentis
Immergat cupidum, & ſublimi carmine donet
Heinſiadem cantare mihi, tot dotibus auctum
Vndique in exemplum pulchris. ſeu lætus amator
Formo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Formoſæ infuſus Roſſæ, florentibus annis
Phœbo non indigna canit, ſecliſque futuris
Ipſe ſuos lepidis tranſcribit verſibus ignes.
Seu cum facundo ſtupefactas fulmine mentes
Attonat, evectuſque tibi concurrere Tulli
Audet, & ambiguã palmã facit, aut facit æquam.
Sive tot egregiis ſordes, maculaſque poëtis
Abſtergit, primuſque docet, quid carmine in illo,
Quod lepidus patria vates cantabat in Aſcra
Arcanæ lateat Sophiæ; quantum Venuſinis
Abſtruſum ſalibus; quæq; hactenus omnibus una,
Nec de plebe viris, obſedit opinio mentem
Tollit, & inflatum jugulat poſt omnia Nonnum.
Seu cum Cecropii irrumpit ſecreta Lycei,
Socraticumq; larem, & quodcunq; à plebe remotũ
Porticus edocuit rigidos antiqua magiſtros:
Virtutiſque præit cunctis iter, inviſamque
Præcipit (O divinum animũ!) contemnere mortẽ.
Sive viros, & ſigna refert, Martemque Batavum,
Et debellatas Belgarum viribus urbes,
Ejectumq; hoſtem, & victricia Principis arma
Auriaci, claroſque duces dextraque, fideque,
Victura æternis commendat nomina chartis.
Eximium ardorem! Nec enim certamine ab uno
Sat laudis retuliſſe putat: verum undique palmas,
Et quot ſufficiant multis, feliciter unus
Colligit, & toto jactat ſua robora Circo
Inclytus, haud una præcinctus tempora lauru.
Hunc mihi nunc Batavi, priſcæ gens æmula Ro-
Germanis vicina meis, ſed nec minor illis, (mæ,
Exhibet, & noſtro facilis permittit amori.
Et mihi nunc (illuc vadunt mea vota, nec ultra)
A vultu pendere viri licet, atque fruiſci
O dudum dilecta anima. Nihil additur illis.
Sufficiat. dimitto Deos, laſſataque votis
Numina ſæpe meis. Teneo, quam quærimus, urbẽ:

Seque

Seque lubens noſtro totam Battavia mater
Imputat ardori: &, qui multo eſt amplior illa,
Heinſius ignoſcit, cupidumque admittit amantẽ.

## De cruenta expugnatione inclytæ civitatis Magdeburgenſis.

### *Magdeburga loquitur.*

HOſtis habet muros, cives: fortuna receſſit.
Quò ruitis miſeri. Nihil eſt. via nulla ſaluti eſt.
Frangimur: & totos oſtendunt prælia Divos
Hoſtiles agitare manus. Cedamus amici,
Cedamus Superis: &, dum non arma poteſtis
Exitio noſtro lacrimas date. Scilicet omnem
Eruere hanc gentem, & ſuprema abſumere clade
Cælicolis placuit. Non defenſoribus armis
Tempus eget. media dominatur Cæſar in urbe,
Irataſque Aquilas, & victis triſte minantes
Circumagit, totaſque incenſis mœnibus infert.
Quin miſeri cives, quin tantæ ceditis iræ:
Sat fidei, nobiſque datum: quin ponitis arma
Victori ſubmiſſa; & vel nunc denique mentes
Tentatis mollire feras. quid ad arma reditis
Nequicquam, & tantum morituri invaditis hoſtẽ?
Quis furor eſt, cives, vel quis fortiſſima fruſtra
Pectora agit Deus, & medios immittit in enſes?
Hei mihi, quantus adeſt infeſtis ignibus hoſtis!
Hei mihi, quam ſubitas volvũt incendia flammas!
Vt furit immiſſis, ut ſpargitur æſtus habenis,
Iamq; domos, jam templa haurit! ſi cætera abibũt,
Quid ſuperi meruere? ſacris abſiſtite tectis.
Sufficiat, ſi cuncta ardent. defendite ab aris
Sacrilegos nunc demũ ignes. Prô quanta per urbẽ
Exoritur cædes! Conjurant flammaq;, & hoſtis:



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Vt non ſimpliciter peream. Prô quantus inundat
Hinc atque inde cruor! video puerosq; puellasq; ,
Alterum in alterius lapſantes ſanguine. Sed pars
Maxima in igne perit. O pluſquam fortia corda,
Egregii cives, quando ultima cernitis, ite:
Ite, atque innocuas animas, quas flamma, furorque
Abſtulit hoſtilis, ultrici quærite ferro:
Ite, explete animos, mediamque irrumpite turbã:
Atque aliqua infandæ ſolatia quærite cladi,
Et cineri veſtrorum. Hei quo proceditis hoſtes?
Quo tandem vacat eſſe feris? An parvula turba,
Inſontes pueri, cædis, tantique furoris
Materies feralis erunt? an denique perget
Ad cunas rabies? nulla eſt, cui parcitur, ætas?
Vſſerunt Graiæ Neptunia Pergama flammæ,
Et meritas ſceleris pænas, turpiſque rapinæ
Supplicium Troia expendit, ceciditque ſuperba
Vltori ſpolium Atridæ: ſed parcere tandem,
Irarumque modum decernere victor,
Contentus periiſſe viros: nec viſus in urbe
Fæmineus cruor, aut pueri de vulnere ſanguis.
Vna ego quid merui? quod noſtrũ eſt deniq; crimẽ?
Cujus convincor ſceleris ſæviſſime? Sed fac,
Fac recte periîſſe, & juſtas pendere pænas.
Quid timidæ matres tandem, teneræque puellæ,
Quid pueri potuere, & pluſquam innoxia turba,
Infantes? Pereunt pariter mulierque, ſenexque:
Quoſque ignis pavidos non hauſerat excipit enſis;
Et ſic alternis occumbunt mortibus omnes.
Albi pater, pater Albi, hæc qui nũc rudera lam-
Et cineres, ubi tanta fui: tu jam excipe cives, (bis,
Queiſq; hoſtis terrã negat, in mare corpora volve,
Prô quam te noſtras ignorans cærula clades,
Horrebit tanto venientem Thetys acervo;
Nec ſolitas rapientem undas; nec vertice flavo
Inſignem, ut ſemper: ſed triſti à cæde meorum
Defor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Deformem, & mulo fædatum flumina tabo.
At tu, qui noſtris inſultas ſæve ruinis
Victor, & ex tanta nihil urbe relinquere tentas:
Subſiſte, & ſumtos placide depone tumores.
Libertas mihi tota mea eſt. quid, vane, ſuperbis?
Rudera ſola tenes, diſiectaque ſaxa domorum,
Quæ ſuperant, tua ſunt; (nec longũ, ſi licet unqu
Vltores ſperare Deos:) Hæc diruta tecta,
Et lapides ſervire doce. Dum cætera deſunt,
Huic aulæ dominare ingens: hucuſque furori
Audaci licet eſſe tuo. Concedimus ultro,
Quas perquiris opes. Facilis jactura bonorum eſt
Ipſa ego non capior. Eſt, quæ ſibi libertatem
Exitio bene credat emi; vitamque ſuorum
Inclyta non dubitet tanta pro laude paciſci.

## Ad civitatem Leidenſem.

*Præfixum orationi, de obſidione ejuſdem urbis Anno 1632. 4 Octob. à ſe habitæ.*

INclyta Lugdunum, cujus devinctus amore
Cunctatur, revocatq; pedem, ſenſimq; propinqu
Dedidicit blandus miſceri Tethyde Rhenus.
O Dea, quam virtus, & tantarum ærumnarum
Gloria non ſimplex, totieſque repulſus Iberus
Diis miſcet ſuperis, & dat conſidere cælo:
O ſalve formoſa mihi. non victa tot armis;
Vt ſemel intumuit, & lucis prodiga virtus
Frangere fortunam, tantiſque laboribus atſit
Spes Batavas audax, libertatemque tueri,
Et fatis aperire vias. O terror Iberi:
Heſperiæ ſcopulus! quam tantis viribus acer
Hoſtis, & indocilis vinci, madiduſque cruore
Belgarum, totiſque exſpirans vultibus iras,
Diruere aggreſſus, infeſta ſub arma coactam;
Vimque,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Vimque, animoſq; tuos didicit. ceu turbine rupto,
Cum Notus Æolio dimitti carcere ſperat:
Iamq; hyemes, nimboſq; & nubila protenus armat
Indomitus, raptatque ſuis jam cærula votis.
Si forte oppoſuit poſtes & ſaxa furenti
Rex tempeſtatum: tantus langueſcere ſenſim,
Compreſſuſque mori paulatim cogitur ardor.
Hinc libertatis nomen, pulcherque revixit
Impetus: hinc cunctis ejectus finibus hoſtis.
Iamque magis gladio Batavus deſcendere toto
In jugulum Heſperiæ cœpit: avertere gazas
Immenſas, dominaſque Orienti immittere claſſes:
Et quà ſudantes Sol abluit amne caballos,
Virtutem proferre ſuam. Tot fortibus auſis,
O nullis evicta malis, tot fortibus auſis
Principium tu ſola, atque omen, diva, dediſti.
Sed quantæ fuerint vires: quot ſtrinxerit enſes
Dirus Iber: turpeſque metus: ut ceſſerit omnis
Obſequiis natura tuis: ut cuſpide mota
Neptunus pelagique fidem, ſolitoſque meatus
Ruperit, iratas immittens hoſtibus undas:
Omnia deinde canam; cum me creſcentibus annis
Provehet, & major animos implebit Apollo.
Adjungam illuſtres animas, tot nomina nota:
Heinſiadæ ardorem, vectamque ad ſidera famam:
Cunæumque meum, quem tantis dotibus auctum
Nunc fovet alma Themis: tum qui nũc tertius illis
Acceſſit, toto clarus Scriverius orbe.
Et quos præterea donaſti, ô inclyta, mundo;
Iunxiſtique mihi. Nunc tantis laudibus impar,
Incipio ſenſim magnis præludere cœptis.
Tu faveas, ô Diva; & queis nunc molliter undis
Aſpergo, hinc toto perfundi flumine ſpera.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

## De Kalendis Januariis Anni 1630.

*Ipſe ſe alloquitur.*

VIncenti,elapſum finis nunc terminat annum:
Exue,ſi quid erit,quod decet exuere.
Exue peccantem,quicquid turpe,exue vitam.
Lux hæc ejectis ultima ſtet vitiis.
Vincenti,inſtantem lux craſtina proferet annum:
Indue,ſi quid erit,quod decet eſſe novum.
Indue correctam, quicquid decet,indue vitam:
Illa dies vitæ ſtet tibi prima piæ.

## *Ad* ZACHARIAM LUNDIUM *febricitantem.*

FEbris peſſima,carnifex moleſte:
Carcer,crux,Phalaris. frequens Erinnys,
Vatum præcipue elegantiorum;
Quid tibi eſt,mala,cum meo poëta?
Amorum,Veneriſque cum poëta?
Faceſſe improba,non tibi heic vacamus.
Aut invade ſenes moroſiores;
Subtriſtes Acherontis Optimates:
Aut capeſſe alios ſeveriores,
Non Muſarum homines venuſtiorum:
Tricoſos homines, nihil tenentes,
Quod vel ſuave,vel elegans vocetur:
Quos curæ illepidæ, anxiæ,moleſtæ,
Vanæ quiſquiliæ,graveſque nugæ
Vix centum ſatis eruendæ in annis
Torquent; Iupiter! implicata monſtra,
Vix centum ſatis eruenda Phœbis.
Hos,ſi quid potes,aggredi decebit:
Hos invade. ſed à meo poëta
Faceſſe improba,non tibi heic vacamus.

*fecit prandens.*

VINUM

## VINUM POETARUM EQUUS.

ANacreon bibebat,
Anacreon poëta;
Recentibuſque ſertis
Semper mero calentem
Frontem revinciebat.
Et inde tot lepores;
Sed aurei lepores:
Et inde tot jocorum
Centuriæ fluebant.
Feliciter poëtæ!
Qui non ubique Phœbum,
Non virgines novenas;
Sed ſæpius refertis
In verſibus Lyæum.
Vino calent poëtæ:
Mero Thyoniano,
Quod diligit Catullus,
Horatiique fervor,
Cum dulce cantat Evœ.
Vobis habete fontes,
O virgines novenæ;
Vobis habete triſtes,
Quas poſſidetis undas.
Quiſquis liquore blando;
Sed Bachico liquore;
Veteris cadi liquore
Se perluit, poëta eſt.

Μεθύων αὐτοσχεδ. ἐποίησε.

## *De minis cujuſdam.*

COnfundam cælum, & terras, Leptonemus inquit.
Me miſerum; quã optem, me mare nunc habeat!

*Ad*

## *Ad* ZACH. LUNDIUM
### *De virgine quadam Batava, quæ Hamb. vivebat.*

GErmanæ, Lundi, fuero conviva puellæ:
Detur ut amplectar, Anglica virgo mihi:
Itala concubitu gratiſſima: Galla loquelis:
Belgica, quod dederint quatuor, una dabit.

### *De eadem ad eundem.*

Illa inter Batavas facile optima nympha puellas,
Cujus pulchra duæ lumina ſunt faculæ:
Eſt Dea: ſi non eſt, aut Tyndaris altera nata eſt:
Aut Roſſam miſit Heinſius è Batavis.

## *Ad* HERMANNUM JUNGIUM.

PEnè Fabricius tuus perîſſet,
Iungi, ſumme meorum amiculorum.
Et jam vix digitis tribus, vel uno
A noſtris ſtetit atra mors capillis,
Cum ( Dii, diſpereat, nefanda primus
Iſta qui potuit docere mundum.)
Sclopeto globus improbo vibratus
Siniſtram ſonuit volans ad aurem.
Vt ſi quà propius volaſſet ille;
Iſte ſpiritus evolaſſet una.
Nec nunc hendecaſyllabos meos tu,
Nec luſus legeres tui FabritI.
Servavit melior Deus, nec iſto
Mî fatale fuit perire ab ictu.
Idem te, voveo, diu valere,
Et velit Clariis præeſſe Muſis,
Iungi, ſumme meorum amiculorum.

### *De Homeri poëmatis.*

MÆonium vatẽ concluſum hoc faſce videmus:
Si qua fides, codex continet iſte Deos.

Si qua

qua fides, natura ſuo ſe indulſit Homero
Tota; &, ſi fas eſt, par fuit ille Deo.
las æternum, rumpatur Zoilus, eſto,
Quod referat quiddam numine majus, opus.
ulichius, natuſque, & multum callida conjux
Vivat: & heic livor nil ſciat eſſe ſuum.
uiſquis eris lector: Naturam, Numina, Cælum,
Orbem utrumque iſtis crede habitare libris.

*In obitum Ioannis Marcelli.*

as tibi, flos juvenũ, exequias, Marcelle, paramus,
Incerti noſtras quis paret exequias.
elix qui potuit bene præceſſiſſe ſequentes;
Felices naves, quas cito portus habet!
h liceat tali portum contingere vento;
Et libeat vel nunc explicuiſſe ſinus.

*Ex Evangelio Matthæi cap. 6. 25. &c.*

nxius explendo quæ ſunt, ſtultiſſime, ventri,
Ne ſtudeas curis quęrere ſollicitis:
uæque tegant corpus, ne veſtimenta requiras:
Quis dedit illa avibus? quis dedit iſta roſis?

Ex Græco

Γράψας Δευκαλίωνα, &c.

inxti Deucaliona, Meneſtrate, cum Phaëthonte,
Quoque utrumque velim, quæris, habere loco.
onſtet honos ſuus ambobus: ſit dignus abire
In flammas Phaëthon, in mare Deucalion.

In Albo cujuſdam.

*Vbi eadem pagina ſcripſerat Zach. Lundius.*

VT junxit nos ante fides, & candida virtus
Indeclinatæ federe amicitiæ:
Fabricio ſuus heic quoque junctus Lundius eſto;
Et coëant chartâ corcula bina ſuâ.
Si qua iſtã lædet manus improba; lædet utrumq;.
Heic quoque ſub fato ſtamus uterque pari.

*In Albo*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

### *In Albo Davidis Crameri.*

Amice perdilecte, quem mihi dudum
Famoſa Leida junxit,& tui mores.
Hoc dexteræ pignus,meique candoris
Pono in libello; quatenus licet ſcripto.
Libenter additurus arctius quiddam,
Si noſter ipſe ſcriberetur Affectus.

### *In Albo Laurentii Fabritii Holſati.*

Nomen idem potuit, quo compellamur uterqu
Amore tecum pectus hoc conjungere.
Sed tuus in Muſas amor,O cordate Fabrici,
Ingens amori pondus adjecit meo.
Cujus nunc ſacrum tibi conſecro pignus,amice,
Quantum fidelis exprimit ſcripto manus.
Vmbra mei eſt, quicquid tibi ſcribitur : haud eg
Qui corde in ipſo rectius ſcribor tibi. (totus

### *In Albo Fabii Cimbri.*

Vbi ex aduerſo picta erat civitas Leidenſis.

Leidæ mœnia : porticus Lycéi.
Tot magnas animas,& eruditas:
Leidæ gaudia: candidas puellas:
Tot meſſes,ſegeteſque baſiorum:
Cumque his Fabricium ſuum relinquens,
Ne ſemel ſimul omnibus careret;
Leidæ mœnia : tot viros celebres:
Et cum Fabricio ſuo Lycéum:
Tot pulchras Fabius meus puellas
Heic complectitur unica pagella.

### *In Mopſum.*

Permulti ſudant,ut diſcant omnia: Mopſus
Immani didicit ſedulitate nihil.

*F I N I S.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

# VINCENTII FABRICI
# EPISTOLÆ
ALIQVOT SERIÆ
ET IOCOSÆ.

Ex multis paucæ.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

VINCENTII FABRICI

# EPISTOLÆ

aliquot ſeriæ & jocoſæ. Ex multis paucæ.

---

*Viro Clariſſimo,*

## HENRICO VAGETIO,

*In Illuſtri Hamburgenſium Schola Humanarum artium Profeſſori, Cognato ſuo. S. D.*

VINCENTIUS FABRICIUS.

ANnus jam totus exactus eſt, & aliquot, qui excurrunt, menſes, vir Cl. ex quo primũ inſtitui aliquam operam Scientiarum principi Medicinæ ſeponere. Eam enim, ut noſti, relicta Juriſprudentia, amoribus meis priſtinis, ex voluntate meorum, ſuaſu præterea clariſſimorum in Urbe veſtra & amiciſſimorũ mihi hominum, deinde etiam tuo, procari aggreſſus ſum. A qua tamen ne rejicerer, (ut faſtidioſulæ ſunt noſtri temporis puellæ;) cenſui non abs re anteacto tempore aliqualem politiorũ literarum cultum mihi fuiſſe acquirendum. qui quamvis non valde lucu-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

lentus eſſet ac ſplendidus; bona tamen ſp
me habebat ſordibus carere. Factum eſt it
que circa illud tempus, ut neſcio quo con
lio ſpecimen quoddam ſubſecivi exerci
Viro maximo, &, ſupra quam ipſe aut m
rui, aut ſperare unquam potui, mihi fave
ti, Petro Cunæo judicandum offerre
Quod profecto ita tunc placuit viro incon
parabili, &, quod caput eſt, candido, ut n
indignum eſſe exiſtimaret, quod ad plur
manus tranſmitteretur. Adjunxeram iſ
guſtum quendam iſtorum elegorum, qu
in Monobiblo nunc edimus; quoſque à pu
ro ſcriptos eſſe, & ipſi oſtendunt, & tu teſ
es. Cæterum cum id temporis timidior f
rem (a νεώτερος γάρ εἰμι cum Telemac
Homerico, καὶ οὔπω χερσὶ πέποιθα:) nu
demum, cum jam ſub prælo eſſent pericu
mea poëtica, autores fuerunt viri quida
clariſſimi, ut, ſi quæ talia haberem, ad fine
carminum adjicerem. quo aliquo modo
puſculum excreſceret; & lector diverſita
(ita enim tunc loquebantur) utriuſque el
quentiæ magis caperetur. Ego priori iſta r
tione maxime permotus, pleraque illa, qu
Cunæus ante menſes ſedecim viderat,
calcem adjicienda typographo miſi. Cu
quib

a *Junior enim ſum; nec unquam manibus con*
*ſus. Odyſſ.* 21.

quibus connectere & alia potuiſſem, nec fortaſſis deteriora, & quorum quædam, ut opinor, tu hactenus vidiſti: niſi conſtitutum apud me fuiſſet, hac prȩmiſſa quaſi promulſide palatum lectoris explorare. Qui ſi non abhorret, non invidebimus fortaſſis impoſterum reliqua. Sin nauſeat, & vomiturit: facilius levi jactura defungemur. Sed & alia quædam cauſa ſuberat, quam olfacere ſine dubio tu potes. ad quem cum aliqua miſſa jam olim ſint, animadvertis, opinor, quam prudenter huic ſeculo cornua non obvertam. quo dum vivimus, noſti profecto periculo non carere eos, qui generoſiſſima ſimplicitate temporum moribus & perverſitati judiciorum convitium faciunt. Cur autem gratis virulentiam quorundam in caput meum contraherem, tanquam Cæcias nubes, cauſam non videbam. Vix enim vel ſic à malevolorum obtrectatione tuti erimus. Quos dum ego vel rideo, vel ſecure deſpicio, tu iſta adoleſcentis ingenii præludia, quo potes, judicio examina: &, quo debes, candore aut proba, aut tranſverſo calamo jugula. Feliciſſime vale, Lugduni Batavorum. Idibus Maij. cIↄ Iↄc xxxiii.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

## DAVIDI CRAMERO, S.

*De ludis quorundam ruſticorum ( quos vul-go Rhetoricos dicunt ) qui in pago prop Leidam oppugnationem & deditionem VVijnbergæ ſatis craſſe repræſentaverant.*

ADhuc oberrant mihi ante oculos, mi Cramere, ea quæ heri ſpectanda in vici-no pago exhibuerunt homines ruris & infi-cetiarum pleni. Sed nolenti hercules: ne er-res, aut talibus me credas oblectatum. Equi-dem profecto Themiſtoclis votum heic re-peto; ut obliviſcendi artem me quis doceat adeo, ex quo domum fui reverſus, ferè trien nii ætatem acceſſiſſe mihi ſentire viſus ſum. Sed, an non belli homines ? inquies. Sunt. Sa-ne in Arcadia natos credas, ita omnium (sec a τῶν κυδίςων ὄνων ) ſunt optimi. Ne quid ta-men mentiar, pleraque ad artem exacta vi dimus. præter cætera, illam civitatis oppu-gnationem in ſcena exhibitam. Omni heic, ut ſcis, horrenda.

b *Quid faciant hoſtes capta crudeliu urbe?*

Sine ſanguine hercules res tanta fieri no potuit. Quid, quod bis terque iterata ? Val de, u

---

a *generoſorum aſinorum.* b *Catullus.*

de,ut noſti , rei atrocia commoti ſumus. ſomnum iſto loco vix tenebamus. Nihil tamen minus factum eſt,quam ut Cæſar , aſinus maximus, ab iracundia ſua recederet. Adeo,ut crederes ſeriam rem agi,magnifice ſceptrum concuſſit (a ſceptrum dextra nam forte gerebat.) non illud aureum quidem: ſed quale Homerici Agamemnonis, bona fide ligneum.

b ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν.

Quamvis enim montes rari in Batavia, ſtipites tamen non pauci.nec præterea, cum de ineptis hominibus ſermo eſt, c ψυχρολογεῖν, ut arbitror abſurdum eſt. Iam autem, cum mulieres,ut pius Æneas patrem,ita maritos ſuos bajulare vidimus , lacrimas profecto non tenui: ita me illarum miſertum eſt. Imprimis cum Cæſar ſe circumventum indignaretur.

d *Quis hæc poteſt videre, quis poteſt pati?*

Percommode tamen cecidit, quod placari non gravate voluit. nihil non horrendum jam metuebam. Lepida nihilominus fuerunt omnia. ipſi, ſi Diis placet , actores riſum non tenuerunt. Cæterum nos,neſcio quo pacto moroſi,



---

a *Virgilius.* b *ut primum è monte reciſum eſt. Hom. Il. 1.* c *frigide loqui.* d *Catullus.*

a *Ne canem quidem irritatam voluit qui*
*quam imitarier : (ſtringere*
*Saltim ſi non non arrideret, dentes ut r*

Cum tamen ſine diſpendio noſtro i fieri poſſet. Benigni enim ædiles fue runt: gratis præbuerunt Ludos. Niſi fort in eo artificium deprehendatur, quod, quo ties ejus rei meminimus, riſum non tenea mus. quem, in re præſenti cum eſſemus, ex primere nobis non potuerunt. Vides hei ὕστερον πρότερον. quod tantum abeſt ut vitiu habeat: ut etiam inter laudes ſit Princip poëtarum. Plura ineptire volebam; ſed ti tinnabulum admonet patere publicam bi bliothecam. quam petere, ut conſuevi, con ſtitueram. Vale, & mecum, quantum po teſt, iſtarum ineptiarum obliviſcere. 11 Non. Sept. cIɔ Iɔ c x x x I. Ex muſęo mec Lugd. Bat.

## N. N. *Amico ſuo.* S. P. D.

ITa eſt. Elegantes & eruditæ ſunt, ut ſentis Baudianæ epiſtolæ. multum ingenii ubi que apparet; multum doctrinæ: nec lepor minus. Et ea cauſa eſt, cur ſemper tibi in ma nibus, in ſinu, indefeſſa induſtria à te volvan tur identidem, & diſcantur, quæ tua eſt avi ditas, ad unam ſingulæ. Nec rara veſtigi

tant

a *Plautus.*

tantæ diligentiæ in tuis apparent. in quibus totum viri magni μυροθήκιον, omneſque ejus arculas, ac pigmenta, non ineleganti profecto curioſitate conſumſiſti. Equidem ſi ſemper modeſtiæ meæ temperamentum indixi, ne quoquam plus ſapere velle viderer. tantum abeſt, ut adoleſcentiæ meæ permittã, vel tibi, vel aliis, ſi quo ſtudio capiuntur, id diſſuaſu meo de manibus excutere. Nimirũ, qui in judiciis timorem, quam fiduciam, ætatem noſtram magis decere ſemper arbitratus ſum. At veruntamen, quia id exigis, non quid ſentire te velim, ſed quid ipſe vel ſentiã, vel errem, non gravabor breviter exponere. Scribis deprehendiſſe te nuper non occultis indiciis, inſtitutum illud tuum mihi nõ probari. Quanquam ego, cum in ea, quæ tunc inter nos dicta ſunt, quaſi per tranſennam redeo, vix reperiam, cur eam conjecturam feceris. Sed fortaſſe fieri potuit, ut ignaro & imprudenti quidpiam excideret, unde tale aliquid tibi eſſet ſuſpicari. Nec profecto valde negaverim. Antiquitatem me ſemper nõ quanta debui fortaſſe, quanta tamen potui reverentia eſſe proſecutum. ita, ut ab ea tum rerum pondera, tum ſermonis nitores cenſeam peti debere. Id quod præter Baudium fecere hoc noſtro ſeculo omnes eruditi. Cur autem fontes iidem nobis pateant; ineptum

videri poſſet, illis omiſſis rivulos ſectari. Optima vero ad imitandum proponenda eſſe, omnium recte ſentientium conſenſus jubet. Editæ ſunt variorũ epiſtolæ multæ egregiæ, doctæ, conſummatæ: quorundam non minus putidæ, quam ſtulte ſunt in lucem datæ. Inter hos tamen qui vel terſiſſime ſcripſerunt, antiquos ſe præceſſiſſe, ne ipſi quidem à quoquam credi poſtulent. ab iis etiam mutuatos eſſe ornatum ſuum libenter fateantur. Jam vero, cum non potuerint eorum, quos æmulati ſunt, ſimiles evadere: quantũ, quęſo, efficiet imitationis imitatio. Si enim pictores pulchram faciem nunquam ita accurate effingunt, ut non multum ab archetypo labantur & decidant: valde profecto is aberrabit, qui non archetypum, ſed expreſſam inde in deterius effigiem exprimere poſtulet. Nec tamen hæc ita diſputo, quaſi legendæ non ſint clarorum hominum epiſtolæ. immo multa ſunt, propter quæ & poſſint legi, & (ita loquor) debeant. Præterquam enim, quod non paucæ in emendandis autoribus, & explicanda hiſtoria ac ritibus verſantur, quales multæ Lipſii & Scaligeri: inſuper, quomodo veterum veſtigia premere, & illis ereptas elegantias uſui noſtro vindicare apte poſſimus, egregie monſtrãt. Quid quo quiſque fuit ingenioſior, eo fecit ſoler-

tius.

tius. Continent præterea peculiarem quandam literatorum hiſtoriam. adeo, ut fere nullus vel noſtro, vel patrum tempore vixerit eruditior, cujus mores vitamque omnem inde diſcere non queas. Memini me non indiligenter legiſſe antehac, quæ extant, eruditorum literas. nec vero nunc, quoties otiũ ad eam rem fert, intermitto. Unde tantum, præter alia, profeci, ut nihil fere occulte in Lipſii, Scaligeri, Baudii, talium epiſtolis notetur, nullus carpatur (nomen enim nunquam fere, ut ſcis, exprimitur) quem ego non, quis fuerit, vel divinem, vel ſciam. His adde de ſcriptis & veterum, & quæ noſtra majorumque memoria edita ſunt, tum ſi quid vel bello, vel pace publice actum eſt, præclara judicia. Unius Eraſmi epiſtolas cum lego, præter quandam renaſcentium diſciplinarum quaſi hiſtoriam, imprimis legentem tenent, quas circa exortum purioris doctrinæ ſcripſit. Quippe qui medius & neutrius partis, nihil gratiæ (quis enim in epiſtola ad amicum?) nihil det odio. quid autem in iſtis ſibi placeat, in illis diſpliceat, generoſo candore exponat. In quibus tamen nihil magis, quam ſingularem viri verſutiam, qui hos ita ſibi demereri potuit, ut illos non offenderet, mirari ego ſoleo. Vt iſta omnia nõ ſint; quem non delectent, quæſo, familiares

iſti

iſti, & quaſi à prẹſentibus habiti virorum magnorum ſermones: quorum imago eſt epiſtola? quantum ibi jocorum: quantum etiã querelarum: &, quatenus per ludum inter amicos licet, conviciorum? An non te felicem crederes, ſi licuiſſet annos aliquot converſari cum Politianis, Manutiis, Eraſmis, Caſeliis, Scaligeris, Lipſiis, Muretis: eorum mores, vitam, etiam cum in lætis rebus, cum in triſtibus eſſent, cum ſerio, aut per remiſſionem vel agerent aliquid, vel ſcriberent, inſpicere? jam vero talium epiſtolæ cum omnibus conjungunt perpetuo quodam, & dulciſſimo contubernio. Provexit me, ut vides, dulcedo quædam tecum loquendi. itaque heic deſino; & plurimum te, mi optime & ſuaviſſime N. ſalvere & valere jubeo. Lugduni Batavor. Non. Octobr. cIↃ IↃc XXXI.

*Viro Clariſſimo,*

## HENRICO VAGETIO.

*S. P. D.*

PRolixum ſilentium tuum, vir clariſſime, incuſare nequaquam decorum eſt pudori meo: qui nihil in me reperio, quod merito debeat eruditis tuis curis importune intervenire. amorem autem tuum erga me deficere tantum abeſt ut credam: ut etiam

nihil

nihil egere his quaſi litterarum fulturis, ſatis per ſe conſtantem, libenter mihi perſuadeã. Niſi quod unũ ſibi imputari debuiſſe noſter amor, neſcio an impudenter, ſentiat: ut efficeres ſcilicet, ne de valetudine cariſſimi ſibi capitis poſſet eſſe ſollicita. Anxium enim & ſuſpenſum eſt, ut noſti, interdum nihil ſcire de eo, quem impatienter diligas. Verum his omiſſis, ad ea prævertar, ob quæ iſta à me ſcriptio inſtituta eſt. Factum eſt haud ita pridem, cùm ego ad Cl. Heinſium, ut conſuevi, inviſerem, ut in ſermonem de litteris tuis, quibus me viro illi primus inſinuaveras, & de ipſo te, incideremus. Ibi Heinſius: Et quid ille amicus noſter, inquit, nihil ne in lucem protulit, & adſignavit famæ? non enim trivialem in eo eſſe doctrinam tunc, cum præſentem inſpexi, multis nec dubiis ſignis viſus ſum deprehendere. Tum ego, eſſe te, dicere, ut eruditionis abſolutum, ita modeſtiæ & ἀφιλοδοξίας ſummum: & ex iis, qui docti eſſe malunt, quam videri. tutiuſque ducere, non degenerem animum, & multarum rerum ſcientiã ſeceſſu tegere; quam inficeto huic ſeculo, & iniquo virtutum cenſori imputare. Atque ea quidem tunc inter nos dicta ſunt. Cæterum ego ſtatim ac domum reverſus ſum, urgendam illam tuam modeſtiam cenſui: teque per litteras, quæ ita verecundæ

eſſe

eſſe ſolent , ut tamen frontem licentiu exuant, compellandum. Memineram enim olim, præſens cum eſſem, ſed timide (habe hoc enim pudor, ut omnia metuenda cen- ſeat) per interpretes verſiculos aliquot men- tionem ejus rei facere. Sed te; & pauca eſſe, quæ ſervares in ſcriniis, dicere: & aliquando forte mihi & mei ſimilibus committenda. Ad quæ tunc ego verecunde ſilui. quippe qui ſingularem prudentiam tuam pro reſpō- ſo mihi ſufficere arbitrarer. Nunc tamen ad eadem relabor, ut quantum vel propter co- gnationem noſtram, vel gratia apud te va- leam, precibus experiar. Ac primò, quanquã, clariſſime cognate, hanc ſeveritatem mode- ſtiæ tuę indixeris, ut ne cuiquam ambitioſus, aut intemperanter famæ appetens videreris: non credo tamen, omnino te non duci ſpe & fructu poſteritatis; quo præclara ſemper ingenia vitam, quã brevem aliàs, & anguſtã nobis natura circumſcripſit, quaſi quadã im- mortalitate ſemper anniſa ſunt proferre. Ad- hæret enim nõ fucatæ virtuti, ut temporum injurias, & iniquitatem judiciorum gloria, ac fama, quæ ex ſtudiis honeſtiſſime petitur, quodammodo conſoletur. Non ignoras æ- vi noſtri ingenium. quo, quanto quiſque do- ctrina, & ejus comite, aut quæ certe comes eſſe debet, virtute excelſior eſt; tanto liben-

tius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

ius contemnitur. Jam autem, quis fructus tudiorum, qui profecto aliquis ſit, oportet; niſi, ſpreto vulgo, ipſa ſuæ ſeges & materia gloriæ, in plauſum, ut [a] quidam loquitur, cant literatum? Xenophon [b] Cyrum ſuum omnia ſuſtinere facit pericula: omnes aggredi labores. quo præmio? [c] τοῦ ἐπαινεῖσθ νεκα. Quod unicum mihi tolle; & concidet omnis, qualiſcunque ſeculo noſtro ſupereſt, amor honeſti. Nec profecto equidem ignoro, quæ viri ſapientes & eruditi, tum olim, tum noſtra memoria, de gloria contemnenda ſcripſere. quam ſi contemſiſſent, neutiquam nomina ſua ſcripto præfigentes, contemnendam haud eſſe, non culpanda quidem, ſed tamen confeſſione proderent. Cæterum exquiſitæ tuæ prudentiæ erit cavere, (quæſo patiaris me in hoc uno, eodem animo licentius tecum loqui, quo ſemper te revereor, & colo) ne tibi, dum finis vel modeſtiam, vel quietem eruditionem iſtam tuam operire, & ſubtrahere famæ; aliquis liberior Patroclus ingerat illud:

[d] Αἰναρέτη. Τίς σεῦ ἄλλος ὀνήσεται, ὀψίγονός περ;

At invidiam, vel potius ſtupiditatem temporum

a *Phædrus.* b *lib.* 1. παιδείας. c *Ut laudaretur.* d *Inani virtute prædite; cui poſterorum uſui eris? Hom. Iliad.* 16.

rum reſpicis. quibus, quicquid non triviale prodit, in angiportis roditur, in circulis maledico ſimul, & inimico dente vellicatur. Atque ii mores jam vulgo recepta ſunt. plura enim ad alieni ſenſus conjecturam, quam ad ſuum judicium ſcribuntur. Quemadmodũ autem a Lynceſtis aqua, quæ vocatur acidula, vini modo temulentos facit: ita quamvis candide ſcripta plurimos livore quaſi quodam inebriant. illos imprimis

*b Si qui ſtultitiam nauſeant,*
*Et, ut putentur ſapere, cœlum vituperant.*

Quorum hac ætate licet meſſem metere maximam. Sed enimvero, quæ tua eſt prudentia, non ex talium ſermone recte factorum mercedem peti debere, ſed cuncta ad conſcientiam referenda eſſe non ignoras. Sed jam ſatis librorum editum eſſe ais. Sane vero, ſi multitudinem videas. At quantum, quæſo, ex talibus tranſmittetur, Ad natos natorum, & qui naſcentur ab illis. Quaſi herba ſolſtitialis pauliſper erunt. & idem, quod extruſit, omnia perimet cacoëthes. De tuis autem eſt, cur melius ſperem: quæ, ut ſingularis doctrinæ fætus ſunt; ita accurata & diuturna lima educta, & perfecta. Nihil autem ab illo ingenio, & eruditione tua, niſi exquiſitum, proficiſci poterit. Sed ſubiicis; tu, & tui

a *Plinius. lib.2 cap.103.* b *Phædrus.*

& tui ſimiles iſta videritis. Cui ſententiæ hactenus acquieſce, ut videas tamen, ne dum tibi ipſi non præſtas, quod potes; aliorum errore aut culpa non præſtetur. dum aut ingenio, aut doctrina deficimur. jam autem quã dulce eſt manſuræ famæ præſumtione præfrui: & blandum illud, quod magno Demoſtheni unice placuit, a οὗτός ἐστι, vivum & ſuperſtitem toties audire.

b *Poſt te victura, per te quoq; vivere chartæ*
*Incipiant.*

Vt breviter abſolvam. Id tantum à modeſtiſſimis moribus tuis impetra, ut tibi ſis tanti, quanti videberis aliis, ſi tibi fueris. Quod ſi perpuli, & deſideriis meis eam præſtiturus es humanitatẽ, quam conſueviſti: age impera, ſi qua in re ego eniti, aut efficere aliquid poſſim. Typographi heic complures ſunt; & pleroſq; ſatis opportune amicitiâ & familiaritate habeo implicatos. tantum innue, & ecce me ad omnia, quæcunque voles, procuranda promtiſſimum. Neſcio, vir Cl. quî fiat, quod, cum ad te ſcribitur, modum non teneam. atqui hoc ab eodem affectu eſt, à quo omnia. Sed jam tandem. c ἰδοὺ σιωπῶ, κἀπιλάζυμαι στόμα. Feliciſſime vale. Lugd. Bat. V. Eidus Novembres. cIↄ Iↄcxxxi.

*Charea*

a *Ille eſt.* b *Martialis.* c *Ecce taceo, & comprimo os. Eurip. Alceſt.*

## Charea Severino. S D.

PRofecto ſic eſt , ut exiſtimas. vix ferenda eſt illa licentia muliercularũ ; quarum luſus nuper in cõglaciato amne vidimus. Quãvis non indelectatos, cum ſpectaremus, nos memini. erant enim ejuſmodi, ut poſſent afficere vel moroſa ingenia: tenere etiã venuſtiores. Recognoſce, quæſo te, & imaginare mecum Amphitheatrum aliquod pulcherrimum : non quale artis elegantia, verũ ipſius naturæ non indecorus horror poſſit effingere. & in eo decurrentes Amazonas, majori, quam pro ſexu, audacia. Tale erat illud in amœniſſimo fluvio muliebris militiæ contuberniũ. ubi juvenibus permiſta, & implicata puellarũ cohors, ſecantibus talaribus ſoleas ſuppacta, & virilia munia induens, modo æquabat curſu, quos æmulabatur; modo anteibat. Noſti magni poëtæ de Itala Camilla divinos verſus:

a *Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret*
*Gramina; nec teneras curſu læſiſſet ariſtas.*
*Vel mare per medium, fluctu ſuſpenſa tumenti,*
*Ferret iter; celeres nec tingeret æquore plantas.*

Quę omnia, hercules, hæ noſtræ, cum lubet, in ſe vere recidere, propemodum nobis probant. Quanquã, ut aperiam tibi cogitationes meas, non tam puellare certamen, quam

a 7 *Æneid.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

uiam Cannenſem pugnã laſciviæ mihi ſpe-
tare viſus ſum. Videlicet, cui nimis inhæret
lud à *a* Iuvenale in re haud diſſimili dictũ.

*Quem præſtare poteſt mulier galeata pudorem,*
*Quæ fugit à ſexu, viros amat?*

t eſto ſane, ut quidam hanc, ſive laſcivia ea
ſt, ſive ferocia, excuſatiorem ſub exemplis
ccipiant, & ad alia transferant vocabula. ni-
nis tamen vereor, ne ingenti huic licentiæ,
uamvis quibuſdã elegantiæ, & genticæ cõ-
uetudinis radicibus nitatur, in mores ali-
uid liceat, non Catonis, non enim ille cor-
umpitur Floralibus, ſed fæmineos.

Καὶ πῶς ἀκραιφνὴς ἐν νέοις στρωφωμένη
Ἔσται;--

it apud *b* Euripidem Hercules. Taceo ob-
cœniores motus, dum fere inceſſu libidinẽ
atentur. atque id quidem in ore & oculis o-
nnium. jam autem crebra vacillatio, & non
lecori lapſus quid habẽt puellaris pudicitiæ?
æpe enim tales quoque vidimus: quaſi fe-
tiva epiſodia. ne ſine corollario diſcedere-
nus. Nec profecto me movet, quod conſue-
udo vetuſtate comprobata ſecuriorem li-
entiam fecerit. atq; adeo turpius exiſtimã-
um eſt, cum corrumpere ac corrumpi ſecũ-
um vocatur. Quicquid obtendant: ego pro-
fecto

a *Sat 6.* b *Alceſtide Quomodo incorrupta inter juvenes verſata erit.?*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

fecto a αἰδέομαι Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους. His adde tacita ſuſpicionum; & quantum occultæ vocis ſibi quiſque in ſexum iſtum permittat. Atque, ut nihil ſe revera ita habeat: non obtinebis tamen, quin ad turpia ſemper plus fidei ſit. Penelopen Homericam mirari ego ſoleo, quæ à procis etiam conſpici erubuit, abſque comite. verba ejus habe:

b Οἴη δ' οὐκ εἴσειμι μετ' ἀνέρας, αἰδέομαι γάρ.

Et Hecuba apud c Euripidem recta facie cum viro loqui nequaquam convenire ait pudori ſuo:

--- d Αἰτιόν τι καὶ νόμος
Γυναῖκας ἀνδρῶν μὴ βλέπειν ἐναντίον.

Nec te moveat, quod iſta & uxor dicat, & vidua. Vide duriorem legem virginibus dictã:

e Εἰς ὄχλον ἕρπειν παρθένοισιν οὐ καλόν.

Ex iſtis autem, quas vidimus, ſi quæ ſupellectilem ſuam venũ exponeret; quæſo te, quis non rideret, an indignaretur

f *Ocreas vendente puella*?

Dignum itaque gravitate Germanica judico, quod, ſi apud noſtrates tale aliquid ſpectaretur; in nefario crimine putaremus eſſe ponen-

---

a *Metuo Trojanas, trahentes populum.* b *Sola non intrabo ad viros, metuo enim. Odyſſ.* 18. c *in Hecuba.* d *Ius faſque vetat mulieres viros contra intueri.* e *In turbam prodire virginibus non decorum. Eurip. Oreſte.* f *Iuvenalis Sat.* 6.

onendum. Neque id moroſe, ut fortaſſis elicatulis videtur: verum ingenuo liberoq; ſtidio. Sed temperandum mihi cenſeo : ne tra epiſtolæ modum ſeveritatem extuliſſe dear. & fiat illud :

a *Moribus præfectum mulierum hunc factũ velim.*

uſi enim: ne tu quid ſerio me ſcripſiſſe cẽ-as. atque ideo inſolitam hanc & plumatam ſtem epiſtolæ indui: ut fidem facerẽ, ma-mo conatu maximas me nugas quando-ue agere. Quemadmodum enim illi mihi on placent, qui omne tempus ineptiis ſe-onunt : nullum in animum revocant. ita on ſatis liber videtur, qui non interdum ni-l agere, id eſt, egregie ineptire didicit. va-. Ex muſæo meo. Lugduni Batavorum. VII d. Ianuar. cIɔ Iɔc xxxII.

## Fabio Gaudentio. S. D.

b *O rem ridiculam, Fabi, & jocoſam,*
*Dignamque auribus, & tuo cachinno!*

PLacuit enim verſu ordiri ea, quæ ſi vidiſ-ſes, tota vita tibi riſus deeſſe non poſſet. ix heſterno die à te domum reverſus fue-m, cum hoſpes meus, cujus domi habito, ene madidus, in muſæum meum adſcendit, ut vinum, quod ſibi donatum ab amico arrabat, guſtare vellem, ſerio petiit. Quid facerem?

a *Plautus.* b *Catullus.*

facerem ? renitebar initio , ut qui ſtudere mallem, & pręterea non valde libenter conflictor cum hujuſmodi ingeniis: cum invitũ, & multa volentem dicere importunitas hominis, ut ſecum deſcenderem , adegit. Invitaverat vicinum cum uxore, elegans par cõjugum : cæterum qui pulchre ſuburrati cantionibus, & choreis exceperunt hunc hominem. Et quidem cum dicto ut biberem adactus ſum. Quid heic ego tibi præſtantiam vini narrem ? Si unquam nauteam bibiſſes, diceres vix cedere

a Ἀλλὰ τόδ᾽ ἀμβροσίης, καὶ νέκταρος ἐστὶν ἀποῤῥώξ.

Ita cum vix bibiſſem , & jam amplius ferre non poſſem, mirifice enim torquebar ; vere ſenſi incidiſſe me in hominum vinolentorum inſanias.

b *Bibendum eſt hercle. ne nega.*

Quid tu faſtidis, quod faciendum vides eſſe tibi ? quin bibis. Noſti ingenia iſtorũ mortalium. Donec ægre tandem impetravi , ut , quantum ipſe vellem , biberem. & ita ſimul cum hoſpite ad focum adſedi. Tunc vero demum cantus audiri cæpit.

c Ἄμουσ᾽ ὑλακτῶν. δισσὰ δ᾽ ἦν μέλη κλύειν.

Finge

a *Sed hoc ambroſiæ & nectaris ſcaturigo eſt. Hom. Odyſſ. 9.* b *Plautus Sticho.* c *Abſurda latrans. erat enim duplicem cantum audire. Eurip. Alceſt.*

ringe me quamvis a ἀδυστομάχως hæc feren-
em: cum non omnino incivile ſit, miſceri
uandoque voluptatibus vulgi. Hoſpitis ta-
nen ſermones, qui jam per vinum & cõmeſ-
ationem incaluerat, aliqualem mihi ſtoma-
hum fecere: quem aliàs funditus perdiderã.
Audires enim hominem modo aggredi Hi-
panos: modo vaſtare Brabantiã: modo Ant-
verpiã obſidere. deniq; , quæ natura ebrie-
atis eſt, non mediocres terrores jacere, ac
enuntiare. Et profecto reperiſſe ſe cũ Plau-
ino iſto tranquillum locum putidus morta-
is putabat, ubi virtutes enarraret ſuas. Ita ut
go jam φαλαρισμὸν quendam, & ne omnia
eterrime faceret, timerem. Quanquam nec
eic adeo tæduit audire garrientem, ut non
ariter, quæ riderem, invenerim. Ac primò
uidem Antvverpienſes, quibus propria ſe
uoque ira offenſum ajebat, aggreſſurum.
Quod ſi princeps pleraque curarum ad ſe re-
iciat, fore, ut uno menſe patretur obſidio.
Nec enim conatibus ſuis caſtellum obfutu-
um: cum exploratum habeat ratione facil-
ima poſſe invadi. per occultos videlicet cu-
iculos; qui jam olim effoſſi uſque ad inte-
iora munimenti pertinerent. Omnes hoc
orribile ſecretum præter ſe unum ignora-
e. patrem enim fuiſſe inter operas, cum
primum

a *patienter.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

primum ab Hiſpanis exſtrueretur. Jam vero quo in loco exitus inveniri poſſit, non ſe dicere (habet enim, ut noſti, gloria quiddam a ἀκοινώνητον:) cæterum in meditullio fere eſſe. Occupata urbe Epiſcopi ædes ſibi ſepoſiturum. Orientalem enim, quæ dicitur, domum nimis anguſtam ſibi, & pompæ ſuæ fore. Cognatos autem ſuos & affines, nugas maximas, rebus ſummis admoturum. ita ut alius captivis imperaret: alius Caſtello præeſſet: alii alia agerent. omnes autem pecunioſam ad ſenectam pervenirent. Plane diceres hominem in puppi ſedere, & tenere clavum: cui vix hodie in ſentina ſit locus. Verùm pergamus. non enim adeo Lycurgeus es, ut iſta audiens non demitigeris. Quod ſi prælio confligendum eſſet; ne id quidem ſe detrectare. Viderent modo adverſum, & adſpicerentur: id ſatis ad victoriã fore. Nec enim nunc primum tali rei interfuturum: quales non pauci hoc tempore, qui nunquam bellum ne in pariete quidem pictum vidiſſent, nunquam ſonum tubarum audiviſſent, niſi in ſpectaculis, inter duces allegantur. Jam olim enim ſe, in conflictu ſcilicet Flandrico, conſimilem luſiſſe luſum. Quanquam eo tempore fortuna ſe magis deſeruerit, quam virtus. Vulnus enim in tergo in-

a *non communicandum.*

go inflictum, ejuſq; reliquias ac monumentum, largam cicatricem ſatis affirmare, quã fortiter adverſum os in hoſtem intenderit. Fecit hic ſermo, ut eorum carminum recordarer, quæ apud a Homerum Hector pronuntiat:

b Οὐ μέν μοι φεύγοντι μεταφρένῳ ἐν δόρυ πήξεις,
Ἀλλ᾽ ἰθὺς μεμαῶτι διὰ στήθεσιν ἔλασσον.

Licet aliter res, quod ad Pyrgopolinicen noſtrum hunc, habere ſe potuerit. Tandem tamen ſe hoſtium potitum eſſe. cum paulo ante ad eos arma tranſvolaſſent: credo, quod ea Mulciber fabricaverat. Cæterũ, animum ibi nõ defuiſſe, quo ultima tentaret, & morte honeſta contumeliis captivitatis eximeretur. Niſi ſibi percommode in mentem veniſſet, etiam viros fortes, quoties fortuna contra daret, ſaluti conſulere.

c Οὐ γάρ τις νέμεσις φυγέειν κακόν.

Cum, ſi occubuiſſet, nemini poſtea fuiſſet uſui futurus. Sæpe autẽ, ſi quis non intemperãter animæ prodigus, vivere aliquando, quam mori mallet; hunc eundẽ poſtea & militem eſſe, meliorẽ, & civem utilem. Prudẽter, opinor, & juxta dogma τοῦ σοφωτάτου d Euripidis.

 a τοῦτο

---

a *Iliad.* 22. b *Non tu mihi fugienti haſtam in dorſo figes. ſed recta per pectus tranſige.* c *Non reprehendendum, ſi quis malum fugiat. Hom. Iliad.* 14. d *Hercule furente.*

----a τοῦτο δ' ἐν μάχῃ
Σοφὸν μάλιστα, δρῶντα πολεμίους κακῶς,
Σώζειν τὸ σῶμα.---

Fore itaque, ut hoc tempore magis ſecundis avibus pugnet: nec priori fortuna, ne erres:

b *Sed eapſe illa, quæ excidionem facere condidit oppidis.* Atque hæc, & ejuſmodi plura homo ineptiſſimus fortiter declamabat: quæ hercules omnia referre, non eſt, c κατὰ τὸν ψυχρολογοῦντα Χρύσιππον, δύνατον. Heic tu nunc quæris, quid mihi auſcultãti animi fuerit? Identidẽ profecto meditabar illud Nõni.

d Νόσφι μόθοιο λέοντες, ἐνὶ πτολέμοισι λαγωοί.

Quanquam cõvivalium fabularum ſimplicitas excuſaverit hominem, alioquin non ultra verba quicquam auſurum: & per quẽ facile

*Troiaq; nunc ſtares, Priamiq; arx alta maneres.*

Eſt enim hoc hominum genus maxime loquax, nimiũ verbis, linguæ ferox: at enimvero, cum adſunt pericula, non minus in detrectandis formiduloſum; quã audax fuerat in depoſcendis. Poſtquã enim promta & temeraria lingua ſatis, ad tædium uſq;, iſthmũ perfodit, Alpes fregit, cœlũ territavit: ſi manum admoveri ſibi ſentiunt, colorẽ mutant, quod

a *Illud in pugna maxime conſultum, ut quis hoſti male faciens, corpus tamen ſuum cuſtodiat.* b *Plautus Milite glorioſo.* c *Iuxta nugatorem Chryſippum, poßibile.* d *Extra pugnam leones, in prælio lepores.*

quod de urticis marinis narrat Plinius, [a] & contrahuntur. Plane [b] Ἀττικοὶ εἰς λειμῶνα. Sed qui profecto haud paulo tolerabiliores ſunt illis, qui cum [c] Ἀχαιοὺς ἀπὸ τοῦ πύργου judicent, aut procul à procellis intra parietes ſedeant, è terra gubernare poſtulant: &, ſi quæ aliter, quam ipſi cenſuere, facta ſunt, ipſi Navarchæ dicā ſcribunt: convitiis clanculum in circulis ſuis proſcindunt: palam ſuſpicionibus perſtringunt. Hoc nunc magni Imperatores ob recte, & generoſe facta præmium ferunt. cæterum hæc [d] ἀπροσδιόνυσα. Interdum, ut ad magnifica hominis verba reſponderem, ſumpſi quiddam de eloquentia Divi Sigalionis: nam tacui.

[e] Ἐστὶ δ' οὗ σιγὴ λόγου
Κρείσσων γένοιτ' ἄν.---

Sed jam, opinor, dimitti poſtulas: qui auribus tuis jure meo ſat inciviliter videor abuti. Non hercules ita abibis, ô bone. velis, nolis, tibi aliquid moleſtiarū in hac re devorandū eſt: & omnino cognoſcenda horum ludorū cataſtrophe: Sic ſoleo beare amicos. Interea dum ille meus fortiter declamando oſtendit quem virum ſibi Batavia ſepoſuerit; mulierculæ illæ, noſtra ſcilicet, & vicina alternis bi-

 bunt,

a *Lib. 9. natur. hiſt. c. 45.* b *Attici in portu. vide Chiliades.* c *Achivos à turre. vide Chil.* d *Nihil ad Bach.* e *Eſt ubi ſilere præſtat, quā loqui. Eurip. Oreſt.*

bunt, & ſaltant. Nihil magis dolebam, quam tibicinem deeſſe: cujus tamen vicem vicinus noſter cantionibus ſupplebat. Quas ſi audiſſes, non jam requireres, cur Faunum Apollini prętulerit auritus Midas. Atque hæc quidem in multam noctem cõtinuata ſunt. cum tandem altera illa mulier ſimul cum marito (ante ſic inter eos conveniſſe diceres,) id facit, quod in foro Romano non decuit Antonium. Nec multo poſt hoſpitis conjux idem imitata,

a Ἄλλῃ τε κἄλλῃ δωμάτων στρωφωμένη,

Teterrimam omnibus popinam inhalavit. videlicet b μεθ' ὑμῶν γε ὦ φίλαι κεφαλαί: ne ad ſolos rediret facti turpitudo. Et mulieres quidem nõ lingua non auribus competere: atque ita inter manus ablatæ ſunt; altera domum, altera in cubiculum. Cum ego vix tandem ex naſſa iſta exire potui. Tu vero, mi Fabi, cum quo volui hanc moleſtiam communẽ mihi eſſe, facile meæ importunitati ignoſces. Quemadmodum enim, cum una ſumus, ſermo nobis deeſſe non poteſt: ita etiam epiſtolis noſtris aliquando conceſſum eſt, ut conſulto hallucinentur. Ego ſane hanc rationem ineptiendi inter remiſſiones habe-

---

a *Hac atque hac per domum volutata, Sophocles Trachin.* b *Vobiſcum ô chara capita. Xenænoti Athenienſis reſponſio.*

habere ſoleo. Fit enim ſæpenumero, ut & vanis, & variis cogitationibus diſtringar, quæ & avocant quandoq; animum, & comminuunt: cum ut plurimum fortiter nugando in viam redeo. Aliam enim aberrationem à moleſtiis non habemus. Feliciſſime vale. Ex muſæo meo. Lugd. Bat. XIV. Kal. Febr. CIƆIƆC XXXII.

*Viro Clariſſimo*

## PETRO CUNÆO. IC.

### *S. D.*

ESt genus hominum, Vir Clariſſime, (quos nec tu ignoras, & ſuis aliquando coloribus depinxiſti) qui omnes illas artes, quibus ad humanitatem informamur, nihil ad eos, qui commodis mortaliũ inſervire ſtudent, arbitrantur pertinere. Cur autem potiſſimum ita ſentiãt, ea maxima cauſa eſt: quod non poſſibile eſſe putent, ut quis, qui uni ex tribus iſtis, quas Facultates appellant, conſecratus eſt, aliis ſtudiis intendat. Atque adeo, ſi forte quidam non niſi artibus honeſtis copioſi ad majora adſcendere voluere: bimembribus pueris hæc monſtra, aut piſcibus ſub aratro inventis comparant.

----a Οὐδὲ κε Νηρεὺς
Βουκόλος, οὐ Πρωτεὺς ἀρότης, οὐ Γλαῦκος
ἁλωεύς.

Vt obiter huc traham Nonnum tuum. At vero alium deſidiam, delitiaſque quaſi judicium reſpi-

 cere,

a *Nec Nereus boum agitator, nec Proteus arator, nec Glaucus piſcator.* b *lib.* 1. *Dionyſiac.*

cere, ut puto, ridiculum eſt. Habet enim hoc inertia, ut, dum ſuæ diffidit, alienæ invideat induſtriæ. ita ut nunquam opiner exſtitiſſe, niſi conjunctam cum ignorantia recti, invidiam. Cum itaque ego non magis ab hujuſmodi opinionibus afficerer, quam *a* Hercules ille Xenophontius à voluptate: vix tamen etiam placere illi potuerunt; qui dum in unis literis quaſi tabernaculum vitæ ſuæ collocant, non retinent, quem debebãt, ex ſapientia modum. Adeo ut ſemper mihi ſapientiſſimi viſi ſint, qui moderandi prudentes, omnia illa, quæ humaniora appellamus, commorationis eſſe cenſent, nõ diverſorii. b *Cito enim inveniri debet ſapientia, ut cito ſuſcipi poſſit: ne quid pereat ex vita, cujus finis incertus eſt.* ut eleganter loquitur diſertiſſimus Patrum. Hæc cum aliquando tibi quoque ita videri ex ſermonibus tuis intellexiſſem, in eam ſententiam ingreſſus ſum; ut dormitantem illam, & oſcitantem ſapientiam neſcio quorũ beatorum otio cenſerem eſſe concedendam. Prudentiſſime autem à c Sophocle dictum eſſe:

--- d Τὸ γὰρ

Περισσὰ πράσσειν, οὐκ ἔχει νοῦν οὐδένα.

Contra autem Medicinam, ad quam me neſcio quod fatum, quamvis nolentem initio, vocavit, nõ ſine apparatu, ſine ingenuitate, quaſi unam ex ſordidiſſimis artificiis diſcendam mihi eſſe crederem. Quemadmodum enim accuratiſſime amicarum oculis ornantur, qui ambitioſe ineptiunt: ita non committendum mihi arbitrabar, ut ſordidus, & nullis literis ornatus ad dominam illam meam accede-

---

a *Vide Xenoph. ἀπομν. β.* b *Lactantius lib. 3. cap. 16.* c *Antigone.* d *Supervacua agere, mentem nullam habet.*

ederem. Atque ita ſerio Græcis & Latinis ſcripto-
ibus inſudandum; ſolidam & priſcam, non
actantem illam, &c, heri aut nuper natam
Philoſophiam ex fontibus ſuis hauriendam;
omnibus denique quæ hominem liberalem ornāt,
&, ubi minime credat, eminent, & excellunt, pe-
ctus implendum mihi eſſe perſuadebam. Cum ita-
que primum in hanc Vrbem veniſſem, quæ præter
æteras votis meis ſatisfacere poſſe videbatur, cæ-
pi quantum mediocritas mea tulit, ſtrenue omnē
ngenuam doctrinā amare. Quod quo feci arden-
tius; eo impatientius doleo, omnia illa, quamvis
iberaliter honeſteque cogitata non omnino, ut
volo, & optavi, cecidiſſe. Cum enim non ita pridē
circumſpicerem res omnes meas, rationeſque ſub-
ducerem, ſummā feci cogitationum mearum, col-
legiq; neceſſe eſſe, ut totū me, & omne ſtudium ad
Medicinā ſerio transferrē. Cœpi exinde paulatim
frangere ipſe me, & cogere, ut illa toleranter ferrē,
quę mutare nō poſſem. Ita factū eſt (a) λεληθότως,
ut non invitus indies majorem cum ejus artis pro-
ceribus mihi neceſſitudinem intercedere paterer.
Cum etiam & ſeculi labem, & exigua eruditionis
præmia reſpicerem; arbitratus ſum, tutius aliquā-
do eſſe, fructuoſiora, quam generoſa ſequi conſilia.
Non enim in Platonis republica me vivere intelli-
gere viſus ſum. Illos quoq; potiſſimum non egere
aliorum ſubſidiis credere volui, qui ſuum ipſi ge-
nium poſſent propitiare, ſuam experiri liberalita-
tem. Huc accedebant meorum vota: quæ nō fru-
ſtrari pietatis eſſe arbitrabar. Nullæ autem literæ
tanti ſunt, ut officium pietatis deſeratur: quod re-
ligioſiſſime cuſtodiendum ipſæ literæ præcipiunt.
Sed, opinor, tua non parum intererat, adeo ſollicite
iſta à me

a *Senſim.*

iſta à me narrari. Ignoſce, quæſo, Cl. Cunæe, meæ importunitati: cui ſuccenſere nō potes, niſi pariter incuſes tuam indulgentiam. quæ, ut primo me adoleſcentem, ignotum antea tibi, nec valde à me commendabilem, amantiſſime complexa eſt; ita totam ſe mihi impertire inpoſterum non gravate voluit. Ei itaque hoc tempore valide confiſus, quávis non ignarus eſſem, parum opportune eruditas tuas curas à me onerari; impetravi tamen à verecundia mea, ut ea fiducia ſe tibi aperiret: qua ſemper favorem illum tuum in me perpetuum futurū, mihi pollicitus ſum. Vt autem affectum illum, quo elegantiores literas, pro ætatis meæ ratione, & mediocritate ingenii proſecutus ſum, vel nęvo aliquo & crepundiis agnoſceres; adjeci quaſdā excerptas ex iis, quas aut ad amicos, aut ſaltem animi cauſa ſcripſi, epiſtolas. Eas autem quod heic judicio tuo ſubjiciam, videri poſſem, vel exquiſitæ tuæ eruditionis ignarus, vel meæ oblitus tenuitatis. niſi exiſtimarem futurum, ut in hiſce vilioribus ſubſecivi temporis oblectationibus aliqualem noſtrum in literis conatum perſpiceres. qui ſicuti nunc velut in herba præceptus ad nullam certam, & ſolidam frugem pervenire potuit: ita faciliorem te in danda venia, ut exiſtimo, experietur. Cum etiam ante aliquot menſes verſiculos quoſdā tibi obtuliſſem, viſus es iſta mea qualicunque ruſtica Muſa non indelectari. laudaſti etiam, quæ tua eſt benignitas, &, tanquam Genium haberent, honorifica commendatione agnoſcere te quædam elementa doctrinæ profeſſus es. Blandiens itaque mihi ( ut omnes libenter in laudibus noſtris creduli ſumus ) elegias aliquot addidi. Quæ ſi exſpectationi tuæ non reſpondent; cogitabis, pleraſque à me in patria fere ante biennium ſcriptas: ut, quæ alias veniam non merentur, iis ſaltem ætas patrocinetur. Cæterum

in reli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

In reliquis liberiores quoſdam jocos meos tibi nõ excuſo. cui moroſa iſta ingenia, quæ perpetuo duritatem & ſeveritatem quandam in verbis, & orationis mæſtitiam ſequuntur, non probari, multis argumentis cognitum habeo. Ego ſane, quoties aut à lectione feſſus, aut quibuſdam curis, quæ non raro ex tranſverſo tranquillitati meæ incurrunt, ſum diſtrictus, ad amœniores hujuſmodi remiſſiones properare ſoleo, & in illis, tanquam in opportuno aliquo diverſorio requieſcere. Atque ſic ad eam formam mihi plurima nata ſunt. ex quibus etiam alia tibi exhibuiſſem, niſi, qui horas tuas ignorare non poſſum, ne nimia fiducia inſignem facilitatem tuam offenderem, fuiſſem veritus. Qua profecto tanto modeſtius uti debeo, quanto experior pleniorem. Reſtat, ut per otium, quoties male bonas horas collocare libuerit, hæc minuta, ſi tanti erunt, ad rigidiorem cenſuram revoces. Ita enim quædam tibi credam placere, ubi plurima diſplicuiſſe cognovero. Feliciſſime vale, Vir maxime, & mihi, quod facis, bene velle perge. Ex muſæo meo. Prid. Kalend. Febr.
CIↃ IↃC XXXII.

*Viro*

*Viro Clariſſimo*

# CASPARI BARLÆO,

S. D.

EPiſtola tua, Vir Cl. (*a*) ἕωλος quidem illa, tamen ante aliquot dies ab elegantis ingenii viro Ioanne Vickevortio ad me tranſmiſſa eſt. Quæ profectò, præterquam quod exſpectatiſſima venit, candoris tui, & lætiſſimæ humanitatis notas perſpicuas, tanquam ea, quæ oculis cernuntur agnoſcendas exhibuit. Cæterum laudes illas, quas in te paucas admodum, nec pares virtutibus tuis congeſſeram, quod tam venuſte declinas; facis tu quidem pro inſita & admirabili tua modeſtia : quæ animum iſtum perpetua rerum illuſtrium meditatione ſupra vulgus evectum jamdudum communibus ambitionis vinculis excepit. Parum tamen rebus tuis conſuluiſti Vir optime; dum tam erudite ſuperlativos meos adſpernatus, cavere non potuiſti, quin quod mihi eſſe dicis vitium, id tibi eſſet. Cum præterea comparativis accenſeri odioſum eſſe dicas; quid attinebat hunc hominem ita civibus ſuis comparare, ut præferres? Quam atrocem ſane injuriam vide ne poëta aliquis noſtras Laureatus frigidiſſimo epigrammate ulciſcatur. adeo tutum non eſt crabrones irritare. Serio tamen ut loquar : non indignor admodum, Clariſſime Barlæe, quod heic ab ingenio tuo abis, tantiſper dum mihi blandiris. ſemper enim in vita mihi arriſit venuſtum illud ex Comœdia: (*b*) *Lætus ſum laudari abs te pater, laudato viro.* Quod hactenus admitto; ut per hujuſmodi

a *Serotina.* b *Hector apud Navium.*

odi blanditias ſtudia mihi mea commendari ex-
imem: non ut, proletarius cum ſim, ut quidam
quitur (*a*) claſſibus & capite cum cenſear, idcir-
ordinibus primis adſcribendum me arbitrer.
Germania noſtra ſuperiori, quod tu feſtiviſſi-
& vere ſcribis, non poſſum non tibi adſentiri,
m, ſi ingenia pleraque ſpectes, Inferiorem dici
ſſe. Adeo, niſi paucos excipias (in quibus cum
collocares, credidiſti forte te carmen condere;
ic enim vobis mentiri, & audacter etiam licet)
nem non modo ſuccum & ſanguinem, ſed et-
n colorem & ſpeciem ſolidæ eloquentiæ non
et. Cujus tamen rei cauſas ſi curatius inquiras,
ſoli naturam (cum nunquam defuerint decora
enia, quæ cum veſtris facile certent,) eam con-
re culpam haud recte poteris. Morbus quidam
er mortales frequens eſt: qui cum non paucos
tratium inceſſerit (ne tu tuos Batavos nihil
care poſſe credas:) præcipue Germaniam no-
am, poſtquam renatæ ſunt literæ, afflixit. Quid
ere aliud poſſum, quam nimis occupatos fuiſſe
dicos, qui ne nomen quidem vulgatiſſimi mali
ogitarunt? Cacoëthes tamen, niſi fallor, Iuve-
lis appellavit. Iſta tabe quoniam plerique no-
atium moriuntur; fieri ſolet, ut pauci iſti ſani,
m omnes fere decumbunt, vix à vobis animad-
tantur. Cum enim per intervalla ſani coloris
ri ab Germanis hominibus ſcripti in conſpe-
m veſtrum veniant; ſingulis autem ferme die-
s infinita hominum otioſorum (*b*) σκαλαθυρ-
ματα, (*c*) ὅσα κόνις, oculis occurrant: paucitas
plurimorum opportunitate, ut in omni re
et, opprimitur, &, ſi ita loqui heic licet, ſuffo-
catur.

a *Arnobius lib.2. adverſus Gentes.* b *vanæ quiſ-
iliæ. Ariſtoph.* c *tanquam pulvis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

catur: Novi autem non modo ſtomachi veſtri ſu ineptiarum vilitate, ſed etiam oculorum faſtidium. Qui ſermonem in homine erudito requiritis, non Lipſii & talium (ſine me vera loqui) a κακοζηλίᾳ inquinatum; ſed ex Ciceronis, Criſpi, Livij μυροθηκίοις prolatum. Illam autem maciem, & illa oſſa plerique in noſtris oris, nec pauci apud vos in eodem valetudinario, & probant, & ſectantur. Adeo non gradu, ſed præcipiti curſu à priſtina eloquentia deſcitum eſt: poſtquam ineptiſſimi Critici (de nugatoribus, non eruditis loqui me cenſe) invenerunt verba, quibus loquerentur. Sed vides, quo me extulerit dulcedo quædam tecum loquendi. Celeberrimo Viro Gerardo Ioanni Voſſio & multam ſalutem à me nuntia, & de meliore nota me commenda. Scripſeram nuper ad eum: ſed neſcio an importunitas mea eum invenerit locum, quem optaverat. Vir doctiſſimus hoſpes meus officioſiſſimam ſalutem tibi mittit. Et ille quidem cum acerrimo morbo nuper conflictatus eſt.

b Ἀλλά τις αὖτε Θεῶν ἐρρύσατο, καὶ ἐσάωσεν. Feliciſſime vale. Nortvici. XIX Kalend. Febr. CIↃ IↃCXXXIII,

---

a *mala affectatione.*

b *Sed aliquis iterum Deorum ſervavit. Hom. Iliad.* 15.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 34